DE

VOCALIBUS PRODUCTIS LATINAS VOCES TERMINANTIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI

CONSOCIATA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS A SE PROPOSITIS

DIE XXII. MENSIS NOVEMBRIS MDCCCCI

PUBLICE DEFENDET

GEORGIUS WEDDING

BURGENSIS.

ADVERSARII ERUNT:

CAND. O. VOLSBURG.

P. KAESTNER, CAND. PHIL.

HALIS SAXONUM

MDCCCCI.

FRIDERICO BECHTEL

SACRUM.

Praefatio.

Qui homines docti de lingua Latina instituerunt quaestionem, quae priores fuerint formae, quae posteriores, ei omnes testimonia maxime Plautinis hauserunt ex fabulis, quippe quae melius quam cetera linguae Latinae monumenta pristinas servaverint formas. Sed eaedem fabulae persaepe permultosque per annos viris doctis dederunt verba, qui neque plane perspiciebant, quae Plautinarum fuerit ratio metrorum, neque satis idoneis utebantur Plauti editionibus.

Atque utraque res effecit, ut Stadelmanni quoque dissertatio: [1]) *De quantitate vocalium Latinas voces terminantium* quamquam per se bonae frugi paucis annis postquam scripta est exoleverit, cum his proximis superioribus annis virorum in fabulis Plautinis versatissimorum ut Goetz, Leo, W. Meyer, Schoell, Seyffert, Skutsch partim scite divinitusque recognoscerent Plautinas et ederent partim usque ad id temporis non inventas et canticorum et diverbiorum leges metricas proferrent in lucem.

Quare grammatici quoque de integro quaerere coacti sunt, utrum eae formae, quae quin in lingua Latina servatae sint ante hos annos nemo fere dubitabat, re vera in Plautinis reperiantur fabulis an opinionum fuerint commenta. Atque mihi quidem certam grammaticae partem in animo est denuo vocare in quaestionem et disserere de vocalibus productis Latinas quae terminant voces vel terminaverunt.

---

1) Basiliensis a. 1884.

Sententiae controversae.

I. Apud Plautum ablativus in ī stirpium in *i* exeuntium adeo in stirpes in consonam desinentes se insinuavit, ut ablativus in ĕ paene summotus esse videatur.

II. Catulli carmen primum ad id quod nobis servatum est carminum corpus referri potest.

III. Catulli carmen 49, in quo adloquitur M. Tullium Ciceronem, ironice scriptum esse interpretatus sim.

IV. Non verisimile est Albium, cuius mentionem facit Horatius carm. I 33 et epist. I 4, esse Albium Tibullum elegiorum poetam.

V. Versus Alexandrae Lycophronis 1226—1280 et 1446—1450, in quibus Romae imperium futurum praedicitur, a Lycophrone ipso scriptos esse censeo.

VI. Ex versibus Theocriti VII 39 sqq.:
. . . *Οὐ γάρ πω κατ' ἐμὸν νόον οὔτε τὸν ἐσθλόν*
Σικελίδαν νίκημι τὸν ἐκ Σάμω οὔτε Φιλητᾶν
ἀείδων, βάτραχος δὲ ποτ' ἀκρίδας ὥς τις ἐρίσδω
non apparet Theocritum Phileta magistro usum esse.

De vocalibus productis Latinas voces terminantibus.

I.

Formae in *a* productam exeuntes.

1. *Nominativus et vocativus sg. primae declinationis.*

Quia in linguis Indogermanicis nominativum singularis primae, quae appellatur, declinationis exiisse constat in *a* litteram productam, quam servaverunt integram Sanscritica et Graeca: *açvā, χώρᾱ*, facile suspiceris in Latina quoque lingua eam esse longam. Nihilo setius non est dubium, quin Plauti aetate haec syllaba iam fuerit correpta. Haud raro enim apud hunc poetam eis deprehenditur locis, qui nullo modo admittunt productam, velut ultima thesis iambici senarii et trochaici septenarii. Ut unum afferam exemplum et alterum [1]:

Cas. 114: Ex stérculíno effósse, túa illaec práedă sit?
Capt. 488: Pérgo ad álios, vénio ad álios, deínde ad álios: únă res,

quorum exemplorum numerus facile potest augeri [2]. Sed his locis repugnant plus quam viginti, quos usque ad id tempus adhibent viri docti planum ut faciant ipsa Plauti aetate nominativum sg. primae declinationis desiisse in *a* litteram productam; pauci contra hanc sententiam dixerunt argumentationem accurate non facientes [3], ut qui loci *a* longam confirmare videntur, eos denuo necesse sit congerere et considerare. Atque primum quidem disseram de eis, qui exstant in d i v e r b i i s, quod

---

1) Plautus adhibetur ex recensione Leonis.

2) Vide: Epid. 295. 574. Merc. 857. Mil. 267. 972. Pers. 150. 615 al. . .

3) Inprimis R. Mueller, de Plauti Epidico, pag. 41 sqq. et C. F. W. Mueller, plautinische prosodie pag. 1 sqq.

nomen eas comoediae partes significare volo, quae non mutatis modis pronuntiabantur [1]).

In senariis iambicis:

Asin. 762: Ne epístulā quidem úlla sít in aédibus.
Bacch. 255: Volcánus, Sól, Lunā, Diés, dei quáttuor.
Bacch. 584: Quae té malā crux ágitat, quí ad istúnc modum.
Bacch. 893: Minérva, Látonā [2]), Spes, Opis, Virtús, Venus.
Cist. 555: Vt rés gestā sit. ‖ Vtinam audíre nón queas.
Cist. 606: Nata, ínquam, méo ero est fíliā. ‖ Certé modo.
Curc. 461: Sequímini. ‖ Léno, cáve in te sít morā mihi.
Epid. 498: Potuít: plus iám sum líberā quinquénnium.
Merc. 26: Inéptiā stultítiaque ádeo et témeritas.
Poen. 85: Altéra quinquénnis, álterā quadrímula.
Poen. 1052: Haec míhi hospitális tésserā cum illó fuit.

Iam videamus, num his undecim versibus vis tribuenda sit et auctoritas.

Luce, ut aiunt, est clarius tribus versibus, si ea ratione leguntur qua supra, metrica inesse menda. Guilelmo Meyer enim acutam debemus observationem, quam dipodiarum legem appellare consuevimus. Cuius legis verba sunt haec [3]): er [der ordner der altlateinischen iamben und trochaeen] liess die 2. senkung der iambischen und die 1. senkung der trochaeischen dipodie mit der folgenden hebung nur reine, nicht unreine verbindung eingehen, d. h. er liess die 2. hebung der iambischen und die 2. hebung der trochaeischen dipodie nur iambischen, nicht spondeischen oder anapaestischen wortschluss bilden ...... durch dieses altlateinische dipodiengesetz erklärt sich, warum im 2. und 4. fusse des senars, im 2., (4.) und 6. fusse des iambischen septenars und octonars und im übergang des 3. zum 4.,

---

1) Versus, in quibus *a* nominativi sg. primae declinationis producta est, contulerunt: Corssen, über aussprache, vocalismus und betonung der lateinischen sprache II 499 sqq., Bücheler-Windekilde, grundriss der lat. declination pag. 21, Neue, lat. formenlehre I 4, Stadelmann, de quantitate vocalium Latinas voces terminantium pag. 7 sqq.

2) Latonam ponit Stadelmann l. c. pag. 15 in numero Graecorum nominum propriorum, quod nemini eum persuasurum esse confido.

3) Wilhelm Meyer, über die beobachtung des wortaccentes in der altlateinischen poesie, abh. d. I. kl. d. k. bayr. ak. d. wiss. XVII, I. abt., pag. 43.

und des 5. zum 6. fusse [1]) des trochaeischen septenars der regel nach nur iambische, nicht spondeische oder anapaestische betonte wortschlüsse stehen.

Ab hac lege cum abhorreat v. Cist. 555:

Vt rés gēstā sit. ‖ Vtinam aúdíre nón queas,

Guieti sequemur partes, qui tamquam praesentiens et divinans transposuit voces *res* et *gesta:*

Ut gésta rés sit. ‖ Vtinam audíre nón queas.

Cum altera lege metrica pugnat v. Curc. 461:

Sequímini. ‖ Léno, cáve in te sít mŏrā mihi.

Nam A. Luchs, qui de paenultimo iambici senarii pede instituit quaestionem [2]), huius pedis thesin syllaba brevi effici non posse ostendit nisi his condicionibus:

1. „si vocabulum non minus quattuor syllabarum finem versus occupat velut Amph. 24:
   Verúm profécto hoc pétere mé prĕcário [3]).
2. „si vocabulum creticum vel paeonem quartum aequans versus finem efficit [4]) velut Asin. 803:
   Tum sí corónas, sérta, unguéntă iússerit.
3. „si thesis pedis antepaenultimi duabus brevibus syllabis ita efficitur, ut verbum paeonem quartum efficiens verbo iambico excipiatur, ═ | ⏑⏑⏑⊥ | ⏑⊥ ‖;
4. „ut vocabulo in syllabam brevem desinenti succedant primum anapaesticum verbum, deinde verbum iambicum, ═ ⏑ | ⏑⏑— | ⏑— ‖ [5]).
5. „contra si ita sunt vocabula syllabaeque distributa, ut deinceps sese excipiant pyrrhichius ⟨vel syllaba producta⟩, iambus, iambus ═ ⏑⏑ ⟨vel ⊥⟩ | ⏑⊥ | ⏑⊥ ‖, non admiserunt poetae iambum“ [6]).

His legibus cum repugnet finis versus Curc. 461: . . . . *sit mŏrā mĭhi,* i. e. ⊥ | ⏑⊥ | ⏑⊥ ‖, alio modo necesse est dimetiri: *sit móra mihi* (═ —⏑⏑ | ⏑⊥), atque, ne versui insit alterum mendum metricum, post verbum *cave* probare hiatum [7]):

1) Exceptus est primus pes trochaici septenarii.

2) In Guilelmi Studemund studiis, I, 1 sqq. — cf. Meyer, l. c. pag. 39 sq.

3) In locum exemplorum, quae Luchs affert ex Phaedro, substitui Plautina. 4) Luchs, l. c. pag. 5. 5) l. c. pag. 13.

6) l. c. pag. 14. 7) quem recepit Leo.

Sequímini. ‖ Léno, cáve | in té sit móra mihi,

qui hiatus, quamquam non est legitimus, in tot invenitur versibus, ut in eo agnoscendo nihil sit difficultatis et offensionis [1]).

Versus Bacch. 255 autem:

Volcánus, Sól, Lună, Diés, dei quáttuor

claudicat deficiente caesura semiquinaria neque semiseptenaria recte effecta. Quare omnes fere fabularum Plauti editores Guieto suasore nomina propria *Solis* et *Lunae* transposuerunt, id quod Corssen, ut servet *a* litteram productam, refutare studet his verbis [2]): „Es ist der sache nach natürlicher, dass erst Sol, dann Luna genannt wird". Ego quidem eius partes non secutus sim: contra verisimilius mihi est in hac enarratione coniungi Solem et Diem quam inter hos interponi Lunam; quamquam omnino non postulandum est, ut in eius generis enarrationibus poetae ratione disponant nomina et ipsi usque quaque secum consentiant [3]). Neque tamen nego usu receptum esse ordinem, quem inscriptiones quoque testantur, ut primo loco nominetur Sol, secundo Luna, sed haec ipsa res nescio quem librarium videtur commovisse, ut nomina Solis et Lunae transponeret.

Porro versum Bacch. 584:

Quae té mală crux ágitat, quí ad istúnc modum

hac ratione non praebent codices BCD, sed codicum ab Italis correctorum scripturae; atque cum BCD pro relativo *quae* habeant formam *qui*, satis apparet illam formam *quae* Italorum esse coniecturam scilicet improbabilem. Relinquam in medio, quem ad modum emendandus sit hic versus [4]): id unum constat dimetiendum esse: . . . . *te mála crux.*

Deinde fides deroganda est versui 26 prologi Mercatoris:

Inéptiă stultítiaque ádeo et témeritas.

Nam in Mus. Rhen. XXVI vol. pag. 437 recte exposuit Dziatzko hanc prologi partem non esse Plauti, sed mali poetae infacetam enarrationem, qui, ut iam R. Mueller et C. F. W. Mueller per-

1) Fortasse transponendum est:

Sequímini. ‖ Léno, cáve sit ín te móra mihi.

2) l. c. II 451.

3) Merc. 5 *sol* ponitur ante *lunam*, sed v. 4 *nox* ante *diem*.

4) Seyffert proponit: qui⟨d est? quáe⟩ te mála crux . . . .; Leo: ⟨dic⟩ quaé te mála crux.

spexerunt [1]), contra sermonem Latinum v. 28 et 30 posuit coniunctionem *et* sine dubio ob eam causam, ne nominativum sg. primae declinationis terminaret in *a* litteram productam. Persuasitne sibi iste malus poeta *a* litteram in *ineptia,* quod duae sequuntur consonae, produci vi positionis? Si minus, agnoscenda est Ritschelii coniectura

inéptia átque stúltitia ádeo et témeritas,

cum vix crediderim tam malum poetam forma illa rarissima (vel exemplis non confirmanda) *inepties,* ut suadet Lachmann, usum esse.

Versui Asin. 762 autem non inest auctoritas, quia cum hiatu eum legere licitum est. Vulgo eum dimetiuntur editores:

Ne epístulā quidem últa sít in aédibus;

cum hiatu [2]):

Ne epistulă quĭdem | úlla sít in aédibus.

Nam quamquam controversia, utrum hiatus in semiquinaria iambici senarii legitimus sit necne, diiudicata videtur non eum esse legitimum [3]), tamen permulti exstant versus, in quibus idem invenitur hiatus velut:

Amph. 143: Ego hás habébo | úsque in pétaso pínnulas.
Amph. 976: Nunc tú divíne | húc fac ádsis Sósia.
Most. 549: Dixi hércle véro | ómnia. || Eí miseró mihi.

Quod pertinet ad versum Bacch. 893:

Minérva, Látonā, Spes, Opis, Virtús, Venus,

non abest suspicio eum non recte esse traditum [4]), cum, quid hoc loco sibi velit Latona, nemo facile dicat. Sed faciamus codicum lectionem esse veram, ego quidem hanc anteposuerim dimetiendi rationem:

Minérvă, Lătóna, Spés, Opís, Virtús, Venus [5]),

etsi haud ignoro Plautum raro et certis condicionibus thesin solutam eo modo effecisse, ut syllaba eam interrumpat finalis [6]);

1) R. Mueller, l. c. pag. 51; C. F. Mueller, l. c. pag. 8.

2) quem commendat Leo. 3) Cf. Klotz, altroem. metrik, pag. 165 sqq.

4) Adnotat Leo: Luna Bergkius op. 1. 36; nec transponendo (*Spes, Latona* Guietus) Latonae nomen probabilius fit nec si Minervae quadrisyllabum facias.

5) Antepaenultima in Latona breviatur ex lege iamborum correptionis. Cf. Skutsch, Vollmöllers jahresber. für rom. philol. I 33 sq.: „eine iambische silbenfolge, die den ton auf der kürze trägt oder der die tontragende silbe unmittelbar folgt, wird pyrrhichisch".

6) Cf. Klotz, l. c. pag. 307.

neque tamen dubito, quin Plautus in nominibus propriis, quae hunc explent versum, illam licentiam sibi adsumere potuerit, praesertim cum omnes fere poetae in nominibus propriis alii aliam non repudiaverint licentiam [1]).

Qui factum sit, ut in versu Cist. 606 syllaba, de qua quaerimus, videatur esse producta, non difficile est exponere:

Nata, ínquam, méo ero est fíliā. ‖ Certé modo.

Constat enim inter metricos Plautum ante mutatam personam admittere hiatum; et hunc ubi scaenici admittunt poetae, ibi syllabam ancipitem non alienam esse, quis est, qui nesciat? Legitimus est in diaeresi iambici septenarii et octonarii hiatus [2]), legitimus eodem loco syllaba anceps [3]). Neque desunt exempla, quae in eadem sede, in qua syllaba ultima est nominis *filia*, ante mutatam personam confirmant inveniri hiatum, velut:

Curc. 41: Oblóquere. ‖ Fíat máxumē. ‖ Etiám taces? [4]).

Merc. 490: Tánti quánti póscit, vín tanti íllam emí? ‖ Auctárium [5]).

Poen. 191: Aphrodísia hódie súnt. ‖ Sciō. ‖ Oculós volo [6]).

Cedo, inquies, versus, qui eodem loco, quo superiores hiatum, syllabam praebent ancipitem, i. e. brevem: vide sis Leonem ad Amphitruonis versum 719, qui tamen etiam versus affert, in quibus ante personam mutatam est syllaba finalis dubiae naturae [7]), et nonnullos, qui hoc loco non praebent mutatam personam. His omissis exemplis quippe incertis sunt octo, de quibus dubitare non licet:

Amph. 719: Vérum nón est púero grávida. ‖ Quíd igitŭr? ‖ Insánia.

---

1) Huic loco simillimi sunt versus Cist. 512 sqq. 519:

Enim vero íta me Iúppiter

Itaque mé Iuno ítaque Iánus (sic Ambrosianus!) íta — quid dícam néscio. Estne Bacch. 893 *Latona* a librario posita pro ‚Ianus' vel ‚Iana'?

2) Velut: Amph. 190. 208. 250 etc.

3) Velut: Amph. 195. 215 etc. 4) Vel.: maxumĕ´. ‖ Etiám taces?

5) Cum trochaicum septenarium interpretentur metrici esse iambicum senarium cretico antecedente:

⊥ ⏑ — ‖ ⏑ ⊥ ⏑ — ⏑ ⊥ ⏑ — ⏑ ⊥ ⏑ —

⏑ ⊥ ⏑ — ⏑ ⊥ ⏑ — ⏑ ⊥ ⏑ —,

quarta arsis iambici senarii respondet sextae trochaici septenarii.

6) Vel.: sciŏ´. ‖ Oculós volo.

7) Velut infinitivi praes. act. in *-re*, quorum *e* finalis utrum producta sit an brevis apud Plautum, denuo ostendi oportet.

Asin. 828: Age décumbámus sís, patĕr. ‖ Vt iússeris [1]).
Epid. 485: Reor ét peccátum lárgitĕr. ‖ Immo haéc east.
Merc. 901: Díc igitúr, ubi illa ést? ‖ In nóstris aédibŭ̄s. ‖ Aedís probas.
Pers. 482: Quíd agis? ‖ Crédo. ‖ Vnde agís te, Dórdalĕ̄? ‖ Credó tibi [2]).
Poen. 722: Quid si ánimus ésse nón sinĭ̄t? ‖ Esto út sinit.
Rud. 975: Máre quidém commúne cértost ómnibŭ̄s. ‖ Adséntio.
Trin. 1185: Míseria ⟨úna⟩ uní quidem hóminist ádfatĭ̄m. ‖ Immo hoíc parumst [3]).

An ex his colliges versibus syllabam finalem dativi-ablativi plur. *-bus* (*aedibūs*, *omnibūs*) olim in lingua Latina fuisse productam? an, quia legimus *Dordalē*, olim vocativum sg. sec. decl. missum esse tibi persuadebis in *e* longam? At neque syllaba finalis *-bus* neque *e* vocativi ullo tempore fuit producta, id quod, cum respondeant formae: Scr. *mātṛ́-bhyas* : Gall. *ματρε-βο* : Lat. *matri-bus* et *equĕ* : *ἵππε*, linguae nos docent cognatae. Maxime; sed qua de causa syllabam sine ulla dubitatione brevem eo loco longam servatam esse arbitrabimur, a quo syllaba anceps non est aliena?

Restat, ut verba faciam de tribus versibus Epid. 498. Poen. 85. 1052, in quibus tria vocabula vel tres formae, quae aurea Latinitatis aetate sunt dactylica, creticae videntur esse:

Potuít: plus iám sum líberā quinquénnium.
Altéra quinquénnis, álterā quadrímula.
Haec míhi hospitális tésserā cum illó fuit.

Facile superat difficultatem Leo, qui Plautum dactylicis pro creticis usum esse formis identidem contendit [4]). Neque quisquam negabit nonnullis locis vel diverbiorum dactylicas traditas esse formas, ubi creticas metrorum postulat ratio velut:

Capt. 11: Negát hercle ílle | últimŭ̄s. accédito.
Curc. 438: Quia núdiusquártus vénimŭ̄s in Cáriam.
Men. 327: Proin tú ne quo ábeas lóngiŭ̄s ab áedibus.
Men. 506: Sanum ést, aduléscens, síncipŭ̄t, intéllego.

---

1) Weise tribuit hunc versum alteri fabulae recensioni.

2) Hiatus inter *credo* et *unde*!

3) *adfatĭ̄m*: syllaba brevis et hiatus.

4) Velut ad Men. 762: *filia* creticus ut alia dactylica in hac praesertim fabula.

Men. 921: Pótiónis áliquid príus quam pércipit insánia [1]).
Merc. 920: Omnibús hic ludificátur mé modís. Ego stúltior.

Neque tamen mihi quisquam probabit Plautum ipsum ut in his versibus ita in aliis dactylicas posuisse formas pro creticis. Quaenam causa fuit, qua hoc ut faceret, commoveretur? An nostris temporibus philologi hos versus facile supplere possunt, Plautus ipse non potuit? Immo corrupti sunt versus, neque explicare difficile est, qui factum sit, ut vocabula dactylica eaque praecipue in tertio et quarto pede iambici senarii et in quinto et sexto trochaici septenarii reperiantur. Dipodiarum enim lex facit, ut, si prima syllaba solutae quartae arseos iambici senarii vel sextae trochaici septenarii est syllaba finalis, quae antecedit theseos syllaba, eam brevem esse oporteat, h. e. tertia arsis iambici senarii vel quinta trochaici septenarii saepe una cum sequente thesi et prima syllaba solutae arseos (quartae vel sextae) efficit dactylum (3. vel 5. ⏊ ⏑ 4. vel 6. ⏑́[⏑]) [2]). Atque si quovis modo vocabulum, quod alteram solutae arseos efficiebat syllabam, deletur corruptela, dactylica forma creticae vice videtur fungi. Emendandi sunt igitur versus Capt. 11. Curc. 438. Men. 327. 506. 921. Merc. 920, emendandi Epid. 498. Poen. 85. 1052, in quibus syllaba Plauti aetate sine dubio correpta longa videtur esse, cum vix serio ea re nitare, quod ter corruptela insinuavit eos in versus, qui nominativum sg. primae declinationis continent, singulis autem locis formae: *ultimus, venimus, longius, sinciput, percipit, omnibus* creticae videntur esse [3]). Quamquam, ut supra dixi, in his omnibus versibus emendationes proferre non difficile est verisimiles aut probabiles [4]), tamen eas, quae usque ad id temporis sunt prolatae, valde dubito accipere [5]).

---

1) Skutsch, Wölffl. archiv XII, 212 contendit in hoc versu formam *percipit* servavisse ultimam productam; num recte?

2) Vel raro: ⏑́⏑ ⏑ ⏑́[⏑]. Cf. pag. 23.

3) Hanc argumentationem, ut ita dicam, praeiudicium esse non me effugit. Sed accuratius non prius iudicare possumus quam de dactylicis apud Plautum formis necessaria instituta est quaestio.

4) Epid. 498 transponit Fleckeisen *quinquennium* et *sum libera*, Poen. 1052 Mueller: *tessera* et *cum illo fuit*. — Poen. 85 proponit Klotz (pag. 275): Altéra quinquénnis, áltera ⟨érat⟩ quadrímula.

5) Cf. Vahlen, Hermes XVII 605 sqq.

Quoniam illis undecim versibus iambicis senariis auctoritatem non inesse satis demonstravisse mihi videor, convertite nunciam animos ad trochaicos septenarios, ex quibus adhibentur versus tres:

Cas. 814: Dí hercle mé cupiúnt servatum. Iam óboluít Casinā procul.

Curc. 602: Páter istúm [1]) meus géstitávit. || At meā matértera.

Pers. 516: Quaé istaec Fórtunā lucríficast? || Istas quaé norúnt roga.

Ex quibus minimi pretii est versus Pers. 516, cum inter se discrepent Ambrosianus et Palatini. Hi enim versum praebent, ut supra eum attuli, longe aliter autem Ambrosianus: LVCRIFERAESTFORTVNA, qua in lectione nihil est offensionis. Iure igitur legemus hunc versum:

Quáe istaec lúcrifera ést . Fortúna. || Istas quaé norúnt roga [2])

cum hiatu legitimo in diaeresi et ante personam mutatam [3]).

Versus Curc. 602 traditusne sit recte, et Leo dubitat et C. F. W. Mueller. Atque Leo, quia corruptelam opinatur esse ante personam mutatam, in editione scribit:

Pater istum meus gestitavit * || At mea matertera

in adnotatione adiciens: fort. *gestitavit* ⟨*olim*⟩. Contra C. F. W. Mueller coniunctionem *at* corruptam esse suspicans dicit l. c. pag. 9: ich für meine person glaube nicht, dass man in irgend einer sprache so disputieren wird: „den ring hat mein vater getragen". „„Aber meine tante"". Atque hoc quidem assentior Muellero corruptelam non esse in eis verbis, quae facit Planesium, sed in eis, quae Curculio. Responsum autem, quod reddit parasitus, Mueller neque perspexit neque, quae coniunctioni *at* inest vis adversativa, tanti fecit, quanti est facienda. Atque, nisi omnia me fallunt, vera huius versus interpretatio est haec: „mein vater hat den ring getragen". „„Aber meine tante hat doch —"", i. e. mediam Curculionis orationem Planesium interrumpit verbis [4]): *mater ei utendum dederat.* Quae cum ita sint, non alia coniecerim opus esse mutatione nisi post coniunctionem *at* addere particulam *enim* [5]) vel *pol,* quas non raro coniunctionis *at* augere vim satis notum est:

Páter istúm meus géstitávit. || At ⟨enim⟩ méa matértera —.

---

1) scil. *anulum*. 2) Ambrosiani lectionem recepit Leo.

3) Cf. pag. 13. 4) Similiter res se habet Merc. 431.

5) De hac particula vide Brix ad Trin. 705.

Qui in v. Cas. 814 nominativum sg. primae declinationis exire contendunt in *a* productam:

Dí hercle mé cupiúnt servátum. Iam óboluít Casinā procul,

ementiuntur; nam neque in Ambrosiano neque in Palatinis traditus est nominativus *Casina* sed potius *Casinus*. Quae lectio sine dubio est prava neque, ut confirmetur, proferri potest, quod v. 859 ridicule dicit Pardalisca:

Lúbet Chalínum quíd agat scíre, nóvom nuptúm cum nóvo maríto.

Nostro loco enim (v. 814) nemo loquitur nisi Lysidamus, qui primam huius versus dicit partem, aut Olympio vilicus, quorum uterque ignorat Casinam esse revera Casinum [1]). Fieri ergo non potest, ut formam *Casinus* probemus, sed emendatio incerta est et ambigua [2]).

Quoniam quattuordecim illi versus, quos, ut *a* litteram nominativi sg. primae declinationis productam esse confirment, ex diverbiis afferunt viri doctissimi, sine dubio sunt reiciendi, eo magis diffidemus eis, qui adhibentur ex canticis, atque omnino valde miror, quod talibus locis iterum iterumque nimiam vim et auctoritatem tribuerunt viri docti tribuuntque, quamquam neminem effugit, quam dubia canticorum sit ratio metrorum. Sunt autem hi novem versus, qui afferuntur:

Aulul. 135: Da mi, óptuma féminā, manúm [3]).
Bacch. 1128: Pol hódie alterā iam bis détonsa cértost [4]).
Cas. 655: Dicám. Tua ancillā, quam tuó vilicó vis [4]).
Cas. 696: Quid úxor meā? Non adiít atque adémit [4]).
Cas. 743: Cenā modo sí sit cócta [5]).
Men. 762: Quidnam hóc sit negóti, quod fíliā sic [6]).
Pseud. 1278a: Id fuit naéniā lúdo [7]).
Trin. 251: Nóx datur: dúcitur fámiliā tóta [8]).
Truc. 459: Lucrí causa avárā probrúm sum exsecúta [9]).

---

1) Pardaliscae aut Chalini ipsius verba non sunt, quia hae personae non prodeunt ante v. 815.

2) *Casī́nă procul* non legi potest, ne *Căsĭnă* tribrachyn efficiens ictum habeat in paenultima.

3) Dimeter iambicus acat. — *femina* est vocativus, sed non detrimento erit de hoc versu iam hic verba facere.

4) Tetrameter bacchiacus acatalectus. 5) Paroemiacus.

6) Dimeter bacchiacus cum Reiziano (⏑ ⏑́ ⏑ — ⏑́).

7) Trimeter creticus catalecticus. 8) Tetrameter creticus catal.

9) Tetrameter bacch. acat.

Quia versum Aulul. 135 dimetri sequuntur iambici [1]:

Vbi ea ést? Quis eást nam óptumá?
|| Tu. | Túne aís? || Si négas, negó.
|| Decet te équidem véra próloquí;
Nam optúma nullá potest éligí,

facile adducti sunt viri docti, ut, etsi numeri sunt deformes, versum 135 quoque dimetrum crederent esse iambicum [2]. Sed cum paulo post nova huius cantici pars a creticis incipiat versibus:

V. 142: Dá mihi | óperam amabó. | Tuast, útere atque ímperá si quíd vis.
|| Id quod in rém tuam óptumum esse árbitror, téd id mónitum advénto [3]),

mihi dubium non videtur esse, quin prior quoque pars (v. 135—141) cretico a versu ceperit initium:

Dá mihi | óptuma fémina manum [4]),

i. e. dimeter creticus cum clausula — ⏑⏑⏑ — [5]), quo versu identidem usus est Plautus velut:

Most. 339: Ecquis hic ést? || Adest. || Eú, Philolaches.

Inter dimetrum autem creticum et clausulam — ⏑⏑⏑ — syllabam admitti ancipitem nullo intellegitur negotio et confirmatur v. Bacch. 1112:

At mihi Chrýsalŭs óptumus homo.

Secundo loco detrahendus est v. Bacch. 1128, qui, ut supra dixi, vulgo legitur, tamquam si bacchiacus sit tetrameter acatalectus. Sed quid nos impedit, quominus sequamur Leonem, qui suadet:

Pol hódie alt[e]ra [6]) iám bis detónsa certost
⏑⏑⏑ — ⏑ ⏑́ — — ⏑́ ⏑ — —,

i. e. bacchiacus dimeter acat. cum Reiziano, qui versus frequenter occurrit apud Plautum:

Cas. 649. 650: Malúm pessumúmque hic modo íntus ápud nos.
Cas. 658: Viró quae suo ínterminétur: vítam.

---

1) Goetz-Schoell in hac cantici parte omittunt ictus.
2) Inprimis C. F. W. Mueller et Leo.
3) Sunt cretici tetrametri cum clausula: — ⏑ — ⏑ — ⏑.
4) Post *mihi* est hiatus (non legitimus) ut in v. 142.
5) De clausula — ⏑⏑⏑ — cf. Leo, die plaut. cantica, pag. 11. 12.
6) *altra* : *altera* = *dextra* : *dextera*.

Cas. 662: Inséctatur ómnis domí per aédis [1]).

Similiter res se habet in versu Cas. 696. Atque opinatur Leo hunc quoque versum ut Bacch. 1128 esse bacchiacum dimetrum acatalectum cum Reiziano eum legi iubens hunce in modum:

Quid úxor mĕă nón adiit átque adémit,

vel *mea* per synizesin:

Quid úxor mea nón adiit átque adémit,

quae vera Leonis videtur esse sententia. Sed metrici nos docent his condicionibus eo loco, quo est pronomen *mea*, pyrrhichium [2]) non admitti, et Skutsch synizesin ostendit verborum velut *mea*, *mĕaĕ*, *tŭŏ* aliorum eiusdem generis apud Plautum esse reiciendam [3]). Quae cum ita sint, Leonis lectio versus Cas. 696 probari nequit; neque tamen coniecturas necesse est versui inferre aut transponere voces, sed aliam proposuerim dimetiendi rationem:

Quid úxor meă non ádiit átque adémit,

i. e. dimeter bacch. catal. dochmio non dissimilis [4]), quem clausula sequitur iambica (dimeter iamb. catal.). Inter utrumque colon autem, ut frequenter, syllaba est anceps. Neque omittam nonnullos afferre locos, in quibus Plautus eadem ratione dimetrum bacch. catal. cum clausula coniunxit iambica [5]):

Men. 972 in systemate bacchiaco:

Recórdetur íd, qui níhili súnt, quid eís preti [6]),

et similiter Amph. 638:

Parúmper datást, dum virí mei míhi potéstas vidéndi fuít,

i. e. dimeter bacch. acat. + dimeter iambicus catal. + dimeter bacch. catalecticus [7]).

Etiam versus Cas. 655 neque vim habet neque auctoritatem. Ad versum 654 enim adnotat Leo: „dicam (AP) (id est in fine versus) . . . . . *secundum P* dicám, tua ancílla

---

1) Cf. Leo ad Cas. 649. 650.

2) Cf. Klotz, l. c. pag. 343: die zweisilbige senkung [wird in bacchien] nie durch wortschluss von der folgenden hebung abgetrennt, sondern durch bindung mit der folgenden hebung in einem worte möglichst schwach und unselbstständig erhalten.

3) Satura Viadrina, pag. 122 sqq.

4) Cf. Leo, die plaut. cant, pag. 15. 5) Cf. Leo, l. c. pag. 15. 16.

6) Parvi momenti est, quod in hoc versu dimetrum bacch. catal. sequitur dimeter iamb. acatalectus.

7) Versus Bacch. 1128 quoque (cf. pag. 11) eodem modo legi potest ac Cas. 696: Pol hódie alteră iam bís detónsa cértost.

quam tuó vilicó vis [1])"; et Goetz-Schoell verbum *dicam* sine adnotatione tribuunt versui 654. Adhaeret igitur in Ambrosiano *dicam* versui 654 [2]), in Palatinis autem, si Leonis recte perspexi adnotationem, in initio positum est versus 655. Atque quis est, qui dubitet, quin cum Ambrosiano verbum *dicam* tribuendum sit versui 654 (id quod faciunt Leo, Goetz-Schoell)? Quo fit, ut uterque versus (654. 655) sit sine offensione:

654: Possúm scire ego ístuc ex té quid negótist? ‖ Dícam.
Tua áncillă, quám tu tuó vilicó vis
Dare úxorem, ea íntus —.

V. 654 igitur est bacchiacus trimeter acat. cum Reiziano [3]), v. 655 bacchiacus tetrameter acat.

Eiusdem generis versus est Truc. 459:

Lucrí causa avárā probrúm sum exsecúta,

qui versus ab omnibus fere certissimum habetur documentum etiam aetate Plauti syllabam, de qua dicimus, fuisse longam, quia eo loco, quo adiectivi *avara* est syllaba ultima, in tetrametro bacch. acat. usque quaque habeat Plautus productam. Sed recte Klotz exposuisse mihi videtur rem aliter se habere. Cuius viri doctissimi deliberatio est haec [4]): „Überall, wo auch sonst selbstständig verwandte metrische *κῶλα* zu einem grösseren *μέτρον* zusammentreten, ist hiatus ⟨und syllaba anceps⟩ in der diese glieder markierenden hauptcaesur zulässig. Wo aber durch die caesur auch nur ein unselbstständiges, hyperkatalektisches glied entsteht, ist diese asynartetische behandlung ausgeschlossen". Afferuntur exempla hiatum et syllabam ancipitem admitti in diaeresi septenariorum et octonariorum, et iambicorum et anapaesticorum, et in diaeresi creticorum tetrametrorum. Et pergit Klotz, pag. 181: „Nach denselben grundsätzen wird sich in den bacchischen tetrametern der hiat ⟨und syllaba anceps⟩ in der hauptcaesur nach dem zweiten fusse halten lassen, wenn man auch dagegen, vgl. Müller, plaut. pros. 619 fg., bedenken erhoben hat. Denn er wird durch die analogie der trochaeischen hauptcaesur der trochaeischen septenare und octonare genau so gerechtfertigt, wie der hiat in

1) – –́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ – ⏑ –́ – ⏑ –́ –, ut videtur, colon ⏑ – ⏑ – ⏑ – et dimeter bacch. acat. 2) Cf. apograph. Ambros., ed. Studemund.

3) Idem versus Cas. 659:

Quid érgo? ‖ Ah — ‖ Quid ést? ‖ Interémere ait vélle vítam.

4) altröm. metrik, pag. 180.

der hauptcaesur der iambischen langzeilen". Neque deficiunt exempla hanc rem confirmantia, ex quibus tria adhibere satis erit omissis nonnullis aliis quippe corruptis aut incertis:

Truc. 463: Vosmét iam vidétĭs, ut órnata incédo [1]).
Men. 968: Vt ábsente eró rem | erí diligénter [2]).
Rud. 194: Tum | hóc mi indecóre, | iníque, inmodéste [3]).

Vt igitur in his versibus et hiatus (legitimus) admissus est et syllaba anceps, ita Truc. 459 *avara* desinere potest in *a* brevem, atque supervacaneae sunt in versibus Truc. 463. Men. 968. Rud. 194 coniecturae Muelleri, Ritschelii, Vssingii, inutilis Truc. 459 Seyfferti *avare* [4]).

V. Trin. 251:

Nóx datur: dúcitur fámiliā tóta

vulgo habetur pro cretico tetr. catal. Quod rati Brix-Niemeyer in quarta quoque Trinummi editione narrant ut in hoc versu ita aliis locis Plauti, Ennii, inscriptionum ex saturniis compositarum *a* litteram nominativi sg. primae declinationis productam esse. Sed huius versus fides infirmatur, quod paulo ante reperitur alter, qui eodem loco, quo in v. 251 ultima est syllaba in *familia,* syllabam habet sine ulla dubitatione brevem:

248. 249: Nón satis id ést mali, ni ámpliŭs étiam [5]).

Sunt enim utriusque versus (248. 249 et 251) numeri:

248. 249: ⏊⏑⏑⏑⏊⏑– ⏊⏑⏑⏖⏑⏒

251: ⏊⏑–⏊⏑– ⏖⏑⏑⏑⏊⏒

Quae cum ita sint, quisnam *a* finalem contendere audebit in *familia* hic esse productam? Sed deliberatio omnis est haec, quomodo horum versuum interpretemur numeros. Neminem effugit priorem partem creticum esse dimetrum acat., quem sequitur clausula –⏑⏑–⏑. Atque nisi omnia me fallunt, haec

1) Mueller supplet: videtis ⟨me⟩.

2) ⟨*tam*⟩ *rem* receperunt Ritschl, Vssing.

3) Fleckeisen transponit: *indecore mi.*

4) Qui in bacchiaci tetr. diaeresi admitti syllabam ancipitem non credit, ei suadeo, ut hos versus intellegat esse dimetros bacchiacos acat. cum clausula Reiziana:

Truc. 463: Vosmét iam vidétĭs, ŭt ŏrnáta incédo.
Men. 968: Vt ábsente eró rem | ĕrī díligénter.
Rud. 194: Tum | hóc mi indecóre, | īnīque, ínmodéste.

Ĭnter dimetros et clausulam admittitur syllaba anceps.

5) Leo hoc quoque loco evitat difficultatem *amplius* esse creticum contendens.

clausula adonio simillima (vel adonius ipse?) eadem est, quae praeter alios locos invenitur Rud. 668:

⟨Scímus: tanto⟩ ín metu núnc sumus ámbae,

cuius clausulae prima arsis soluta est in v. Trin. 251, altera in v. 248. 249.

Paulo longius mihi repetendum est in v. Men. 762. Goetz-Schoell et in hoc et in eis tribus, qui sequuntur, versibus omiserunt ictus, quod numeri sint incerti. Leo autem illum versum nos dimetiri iubet hunce in modum:

Quidnam hóc sit negóti, quod fíliā sic [1]),

in editione dicens fabularum Plauti ter repetitum esse ⏑–́– ⏑–́– ⏑–́ ⏑–́⏓́ (i. e. bacchiacus dim. acat. cum Reiziano) cum clausula ⏑–́–⏑–́– vel Reiziana. Sed necesse videtur accurate hos versus afferre:

Quidnam hóc sit negóti, quod fíliā sic
Repénte expetít me, ut ád sese írem.
Nec, quíd id sit, mihí certiús facít, quid
Velít, quid me accérsat [2]).

Antecedunt bacchiaci tetrametri [3]); a v. 764ᵃ alterum incipit systema bacchiacum, cuius in fine est iambicus dim. cat.:

774: Id ést quod súspicábar.

Quod ad Leonis versus inde a 762 ad 764 dimetiendi pertinet rationem, non eam laudaverim, cum pronomen *quid*, quod ille tribuit versui 763ᵃ, in codicibus adhaereat v. 764. Atque etsi hanc rem per se non magni esse momenti haud ignoro, nostro loco duae obstare mihi videntur causae: primum quidem huius cantici cola in codicibus usque quaque perbene seiuncta sunt, deinde manuscriptorum lectione servata nulla versus 763ᵃ et 764 dimetiendi est difficultas:

763ᵃ: Nec quíd id sit, mihí certiús facit
–⏑́⏑– ⏑–́– ⏑–́⏑–

764: Quid vélit, quid me accérsat
–⏑́⏑– – –́ –,

763ᵃ est dimeter bacchiacus cum clausula (iambica) ⏑–⏑– [4]), quae non raro cum versibus bacchiacis coniuncta est, velut:

---

1) Cf. pag. 7, adnot. 4).

2) Vel: vĕlīt, quíd me accérsat (clausula Reiziana).

3) Excepto versu 760, in quo corruptela etiam numeros turbavisse videtur.

4) Cf. Leo, die plaut. cant., pag. 22.

Poen. 252. 253: Quiésco. | Ergo amó te. Sed hóc nunc respónde
Mihí: sunt hic omnia.

Rud. 205: Ita híc sola sólis locís compotíta sum.

Men. 764 autem est bacchiacus dim. acat.; quamquam mihi verisimile est eum legendum esse:

Quid vélit, quid mé⟨d⟩ accérsat,

h. e. iambicus dim. catal., qui ut

Id ést, quod súspicábar

alterum systema bacchiacum (inde a v. 764ª ad v. 773), claudit primum. Sed numeri versuum 762 et 763 nobis nominativum *filia* interpretantibus esse dactylum sunt hi:

762: – –́ – ⏑ –́ – – –́ ⏑ ⏑ –
763: ⏑ –́ – ⏑ –́ – ⏑ –́ – –́ –
vel [1]): ⏑ –́ – ⏑ –́ – ⏑ ⏑ –́ – –
vel [2]): ⏑ –́ – ⏑ –́ ⏑ – –́ – –.

Atque versum 763 sine dubio proximum est legere:

Repénte expetít me, ut ád sese írem,

i. e. bacchiacus dim. acat. cum clausula Reiziana. Verum, *quod filia sic* – –́ ⏑ ⏑ – in v. 762 vix colon illud est iambicum ⏑ – ⏑ –, de quo supra verba feci, sed potius anapaestica videtur esse clausula. Eius generis autem clausulas Plautum recepisse et praecipue bacchiacis coniunxisse cum versibus nemo infitias ire potest. Exempli gratia conferas:

Cist. 8: Pol ísto quidém nos pretió facile ést frequentáre [3]),

i. e. dimeter bacch. acat. cum paroemiaco. Iure igitur versum 762 interpretari mihi videor esse bacchiacum dim. acat. cum clausula anapaestica (monometro anap.), quam clausulam, cum simillimi sint numeri:

762: quod fília sic: – –́ ⏑ ⏑ –
763: ut ad sése irem: ⏑ ⏑ –́ – –

etiam in v. 763 deprehendi crediderim.

Versum Pseud. 1278ª, quia antecedunt cretici, ante id temporis dimetiebantur viri docti, perinde ac si sit creticus trimeter catal.:

---

1) *ŭt ăd sése*, ⏑ ⏑ –́ per legem iamborum correptionis.

2) *ut* coniungi potest cum prima huius versus parte: *repénte expetít me ut* . . .; inter primum colon et clausulam est syllaba anceps.

3) Non nego clausulam ⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑ –́, ut videtur, in hoc uno versu 762ª (et 763?) inveniri. Sed non est dubium, quin tempus posterum scientiam nostram aucturum sit clausularum.

Id fuit naéniā ludo.

Sed praeterquam quod eius generis versus apud Plautum non occurrit, altera hunc versum dimetiendi exstat ratio:

Id fŭit naénĭă lúdo,

i. e. clausula anapaestica (paroemiacus); eadem, quae in fine versuum creticorum invenitur Rud. 216 a:

Me núnc miseram ésse ita utí sum.

Iam unus superest versus Cas. 743 isque dubiae naturae; qui, ut supra dixi, vulgo legitur:

Cenā modo sí sit cócta,

i. e. paroemiacus. Atque hoc ut accipiamus, suadere videtur versus, qui antecedit, idem paroemiacus:

Quid núnc? quam móx recreás me;

dissuadetur, quod in Ambrosiano versus 743 non eodem ordine sub v. 742 scriptus est [1]), id quod ea de causa factum videtur esse, quo facilius alium versum atque antecedentem esse appareat. Neque quidquam impedit, quominus — ut iam Leo quamquam dubitans suspicatur — eum interpretemur esse iambicum dimetrum catal. *cenă mŏdo sí sit cócta,* praesertim cum paulo ante alter reperiatur dimeter iambicus (acat.):

v. 732: Mané. ‖ Quid ést? Quis hic ést homó? [2]).

Demonstrasse mihi videor illorum trium et viginti versuum Plautinorum, in quibus nominativus sg. primae declinationis cadere videtur in *a* productam, partim admittere syllabam ancipitem, partim esse corruptos, partim in metrorum ratione dubiae naturae, ut omnibus vis deroganda sit atque auctoritas. Longe incertiores autem, quam de quibus supra verba feci versibus, sunt ei, qui adhibentur ex poetis et inscriptionibus [3]) eiusdem fere, qua fuit Plautus, aetatis. Quae exempla ad unum omnia reiecit Stadelmann [4]) solum omittens versum Naevii, quem iambicum senarium esse contendit Corssen Aussprache II 450:

Atqué prius páriet lócustā Lucám bovem.

---

1) Vide apograph. Ambros., ed. Studemund, et Leo, Die plaut. Cant. pag. 48.

2) Sic Goetz-Schoell. Nescio qua de causa Leo in editione notet trochaeos.

3) Ex Scipionum afferuntur elogiis: *formā* (E. Schneider, Exempla, 88 β, 3), *famā* (Schneider 90, 3), *vitā* (Schneider 91, 4), quae formae, cum usque ad id temporis saturniorum ratio metrorum non sit perspecta, nihil valent. 4) L. c. pag. 7. 8.

Sed primum pugnat in hoc versu nomen *locusta* cum dipodiarum lege [1]), quia paenultima producta efficit thesin quartam iambici senarii; deinde Varro, qui profert illa verba, tantum dicit: *Apud Naevium: Atque prius pariet locusta Lucam bovem. Luca bos elephas.* Quae res cum ita se habeat, eodem iure atque ex fabula quadam Naevii iudicabimus potius illa verba sumpta esse ex Bello Poenico, id quod suspicantur Ottfr. Mueller et Luc. Mueller verba a Varrone allata duobus tribuentes versibus saturniis [2]). Negari igitur non potest aetate Plauti syllabam, de qua quaesivimus, fuisse correptam, quae correptio sine ulla dubitatione permultis annis ante facta est, ut neque inscriptiones neque aevi vetustioris poetae hanc syllabam servaverint productam.

De vocativo sg. primae declinationis paucis possum absolvere. Apud Plautum neque exemplis ostendere possumus hunc casum exire in syllabam brevem neque in productam, cum, quibus locis occurrit, in eis admittatur syllaba anceps [3]). Nam etiam in v. Curc. 192 [4]), qui vulgo legitur:

Ebriolā persólla, núgae? ‖ Tún meam Vénerem vítuperas?

non vis est et auctoritas, quia dimetiri licet:

Ebriólă persólla, núgae? ‖ Tún meam .... [5]).

Sed exempla aetate Plauti vocativum desiisse in *a* brevem permulta ex Ennio, aequali fere Plauti, petere possumus:

Ann. 30 (L. M.): Eurydica prognată, pater quam noster amavit.
34: Postilla, germană soror, errare videbar.
38: His verbis: o gnată, tibi sunt ante ferendae,

aliis locis. Utrum autem vocativus in *a* brevem terminans (velut *filiă*) olim propria fuerit [6]) forma an ortus sit ex nominativo **filiā*, diiudicare non possumus, quod in lingua Latina ex utraque forma eam, quae cadit in *a* litteram correptam, evadere oportebat.

---

1) Cf. pag. 2. 2) L. Mueller, Bell. Poen. V. 74. 75:
atque prius pariet locusta
Lucam bovem.
Baehrens, Frg. poet. Rom. p. 9:
atqué priús pariét | bovém locústa Lúcam.

3) *ulmitribă* (Pers. 279: néscio, ínquam, ulmítribă tu) est stirps in *a* masculini generis.

4) De versu Aulul. 135 cf. pag. 11. 5) Sic Leo.

6) Cf. sskr. nom. *ambā* (mater), voc. *amba*.

2. *Nominativus et vocativus nominum propriorum Graecorum in -ας et -ης* [1]).

a. Nominativus.

Quaestio, quam Stadelmann l. c. pag. 18 de his instituit nominibus, parum est felix, quod simul de nominativo verba fecit et vocativo; quo factum est, ut omnia miscuerit et turbaverit, planum fecerit nihil.

Quod ad nominativi pertinet syllabam ultimam, qua sit natura, non facile est decernere, cum saepissime nomina reperiantur aut in exitu versus aut ante vocalem, ut propter elisionem natura syllabae finalis perspici non possit.

Apparet tamen Plautum his nominibus propriis usum esse littera finali σ deiecta. Versus Plautini autem, quorum ratio habenda est, sunt tres:

Amph. 438: Quís ego súm saltém, si nón sum Sósiā? te intérrogo.
439: Vbi ego Sósiā nolim ésse, tú esto sáne Sósia.
1024: Sósia. ‖ Ita, sum Sósiā, nisi mé esse oblítum exístimas [2]).

Quibus ex versibus nihil valet Amph. 438, quia pro *te* licitum est scribere *ted* [3]):

Quís ego súm saltém, si nón sum Sósĭă? té⟨d⟩ intérrogo [4]).

In versu 1024 autem dimetiri possumus:

Sósia. ‖ Ita, sum Sósiă̄, nĭsi mé esse oblítum exístimas,

quam dimetiendi rationem ut accipiamus, suadetur, ne ultima ante diaeresin thesis duabus efficiatur syllabis [5]).

Sed si spectamus versum 439, nominativus *Sosia* longa videtur terminari syllaba. Cui rei, nisi omnia me fallunt, haec repugnat deliberatio: nomina velut *Sosia* (*Σωσίας*), *poeta* (*ποιητής*), *nauta* (*ναύτης*) ex lingua Graeca in Latinam translata in hac declinantur secundum primam, quam dicimus, declinationem;

---

1) *a* litteram nominativi sg. Graecorum nominum propriorum feminini generis velut *Scapha*, *Myrrina*, *Philumena* etc. docuit Stadelmann l. c. pag. 15 sq. usque quaque apud Plautum et Terentium eos locos tenere, ex quibus de quantitate nihil concludi possit.

2) Stadelmann affert praeter hos versus Amph. 828:
Nám quom dé illo súbditívo Sósiá mirúmst nimis (!)

3) Mueller, Nachtr. pag. 2.

4) Leo hoc quoque loco *Sosia* creticum esse contendit.

5) Cf. Klotz, l. c. pag. 146. Skutsch, Sat. Viadr. pag. 141.

unde efficitur, ut nominativos *Sosia*, *poeta*, *nauta* respondere necesse sit nominativo primae declinationis Latinae, cuius ultimam etiam in nominibus feminini generis apud Plautum brevem esse supra demonstravimus [1]): ergo fieri non potuit, ut nominativus *Sosia* mitteretur a Plauto in syllabam productam. Quae sententia duabus adiuvatur causis: primum Amph. 439 unus est versus [2]), in quo nominativus nominis Graeci in *-ας* longa terminatur syllaba, deinde non difficile est transponendo huic loco mederi:

Vbi ego nólim Sósia ésse, tú esto sáne Sósia [3]),

id quod eo magis commendatur, quia nominativus *Sosia* creberrime deprehenditur ante vocalem [4]). Huc accedit, quod apud Terentium illis duobus locis, in quibus nominativus nominum eiusdem generis ac *Sosia* non ante vocalem aut in exitu versus aut in diaeresi iambici septenarii vel octonarii reperitur, duae eum sequuntur syllabae (breves):

Eun. 707: Díc dum hoc rúrsum, Cháereá tŭăm véstem détraxít tibi?

Phorm. 484: Phaédriá tĭbi ădést. ‖ Vbinam? ‖ Eccum ab súa palaéstra exít foras,

quae res, nisi fallor, nos dimetiri iubet: Chaéreă tŭam; Phaédriă tĭbi adést.

b. Vocativus.

Optima Latinitatis aetate poetas hunc casum duplici effecisse modo: et in *-ă* et in *-ā* nemo ignorat:

Ovid. Met. V. 242: Te tamen, o parvae rector, Polydectă, Seriphi.

Horat. sat. II. 3, 187: Ne quis humasse velit Aiacem, Atridă, vetas cur?

---

1) Ceterum nomina masculini generis secundum primam declinationem velut *agricolă*, *scribă*, *legirupă* in lingua Latina nunquam casum rectum misisse videntur in *a* productam.

2) Incertus est versus Ennii Ann. 19 (L. M.):

Doctu' parens Anchisă, Venus quem pulchra dearum,

quem versum scribit Vahlen:

Doctusque Anchisā, Venu' quem pulcherrima dium.

3) Mueller pag. 9; Nachtr. pag. 2.

4) Nominativus *Sosia* apud Plautum undevicies occurrit, sed septies in fine versus: Amph. 148. 338. 398. 400. 403. 955. 1002; novies ante vocalem: Amph.: 387. 394. 411. 427. 598. 609. 615. 918. 619.

contra per *a* productam:

Hor. carm. II. 4, 2: Xanthiā Phoceu. Prius insolentem.

Verg. Aen. X. 229: vigilasne, deum gens,
Aeneā? Vigila et velis inmitte rudentis.

Quid veri est similius quam Plautum quoque et Terentium et servavisse *a* litteram productam, ut est apud Graecos, et secundum Romanos usos esse *a* brevi, quae duplex consuetudo, cum forma Graeca et Latina essent simillimae, facile potuit se insinuare? Atque forte accidit, ut apud Plautum uno loco perspici possit, qua quantitate sit syllaba finalis vocativi:

Asin. 740: Leónidā, curre, óbsecró, patrem húc oráto ut véniat,

i. e. secundum Graecos [1]); eadem ratione Terentius Heaut. 406:

Salve, ánime mi. ‖ O mi Clíniā, salve. ‖ Vt vales?

Verum sive brevis sive producta *a* littera esse potest:

Andr. 301: Quíd ais, Býrriă? dăturne ílla Pámphilo hódie núptum? ‖ Síc est.

Eun. 558: Chaéreă, quĭd est quód sic géstis? quíd sibi híc vestítus quaérit? [2])

Phorm. 154: Phaédriă, patrem ut éxtiméscam, ubi véniat ín mentem eíus advénti! [3])

3. Nominativus-accusativus pluralis neutrius generis.

Nominativum-accusativum plur. neutr. gen. olim desiisse in *a* litteram productam non solum docent linguae cognatae velut Ved. *yugá*, Got. *juka*, sed in lingua Latina ipsa numeralia in *-gintā*, quae nominativos-accusativos plur. neutr. gen. esse satis constat, semper *a* litteram servaverunt productam, cum, antequam eorum *a* correpta est, obriguerint. Hanc autem correptionem iam aetate Plauti factam esse eo ipso apparet, quod saepe *a* nominativi-acc. plur. neutr. gen. invenitur in ultima thesi iambici senarii et trochaici septenarii velut:

Most. 49: Tu fórtunátus, égo misér, patiúndă sunt.

Most. 417: Profécto ut líqueant ómnia ét tranquíllă sint.

---

1) Non iure igitur transponit Mueller, l. c. pag. 9: *curre, óbsecró, Leónidă* . . .

2) Anteposuerim: *Chaéreă, quĭd est quód sic* . . . . ., ne thesin solutam interrumpat syllaba finalis (*Chaéreă, quĭd* | *ĕst quód.* . . . .).

3) Praepono: *Phaédriă, pătrem ut éxtiméscam* . . . ., cf. adnot. 2).

Trin. 861: Quám magis spécto, mínus placét mi haec hóminis fácies: mírā̆ sunt,

multis aliis locis. Ut autem a viris doctis versus allati sunt, in quibus *a* littera nominativi sing. primae declinationis producta sit, ita opinantur esse versus, qui *a* productam nominativi-acc. plur. neutr. gen. confirment [1]). Atque vulgo ex Plauti fabulis haec promuntur exempla [2]):

ex diverbiis:

a. ex iambicis senariis:

Pseud. 563: Me idcírco haec tánta fácinorā promíttere.

b. ex trochaicis septenariis:

Asin. 199: Céterā quae vólumus úti Graéca mércamúr fide.

Men. 900: Quaé me clám ratús sum fácere, ea ómniā fecít palam.

Mil. 1314: Quíd vis? ‖ Quín tu iúbes ecférri ómniā quae istí dedi?

Mil. 1338: Éxite átque ecférte huc íntus ómniā quae istí dedi.

Mil. 1408: Obsecro hércle té, ut meā verba aúdiás prius quám secat.

Rud. 1086: Ét crepúndiā. ‖ Quid, si éa sunt aúreá. ‖ Quid istúc tua? [3])

Quibus septem versibus fidem esse derogandam censeo. Versum Mil. 1408 enim dimetiri licitum est cum hiatu legitimo in diaeresi [4]):

Obsecro hércle te, út mĕā̆ vérba aúdiás prius quám secat [5]),

et in v. Rud. 1086 ante personam mutatam syllaba admittitur anceps, ut mutatione:

Cúm crepúndiís. ‖ Quid . . . .,

quam commendat Leo, non opus sit, quamquam in eadem fere re Plautum non nego scripsisse *cum crepundiis* Rud. 1362 sq.:

una ístinc cístella éxcepta ést modo

---

1) Cf. Corssen, Aussprache II, 460. Buecheler-Windekilde, Declination pag. 40. Stadelmann, l. c. pag. 28.

2) Omisi eos versus (iamb. sept. oct., anap. sept. oct.), in quibus syllaba, de qua dicimus, eam tenet sedem, in qua admittitur syllaba anceps, velut in diaeresi: Amph. 1055. Asin. 419. 613 . . .

3) Rud. 1216. 1222:

Omniān licét? ‖ Licét. sed scín quid ést quod té volo?

Omniā⟨n⟩ licét? ‖ Licét: tibi rúrsum réfero grátiam,

a producta est vi positionis.

4) Cf. pag. 18. 5) Sic Leo.

Cúm crepúndiís, quibuscum hódie filiam ínvení meam,

et similiter Cist. 709: cistellam cum crepundiis.

Quod pertinet ad formas: *cētĕrā* (Asin. 199), *ōmnĭā* (Men. 900. Mil. 1314. 1338), *făcĭnŏră* (Pseud. 563)[1], non aliter de eis iudicandum est ac de formis *lībĕrā, āltĕrā, ōmnĭbūs, vēnĭmūs,* de quibus accurate verba feci pag. 8 et emendandos esse versus, in quibus occurrunt, ostendi. Atque in uno quidem versu (Asin. 199) emendatio probabilis tamquam ipsa se praebet:

Céterúm quae vólumus úti Graéca mércamúr fide[2],

vel quam ego anteposuerim emendationem:

Cétĕră quáe ⟨nos⟩ vólumus úti Graéca mércamúr fide[3].

Difficilius autem est versibus Men. 900. Mil. 1314. 1338. Pseud. 563 mederi, id quod vulgo fit transponendo: Men. 900: *omnia ea*[4]; Mil. 1314. 1338: *omnia isti quae*[5]; supplendo Pseud. 563: *facinora ⟨his⟩*[6]. Neque vero his coniecturis satis habeo fidei, sed versus Men. 900. Mil. 1314. 1338 cum hiatu legere praefero quamquam non legitimo:

Men. 900: Quaé me clám ratús sum fácere | éa | omnĭă fecít palam[7].

Mil. 1314: Quíd vis? ‖ Quín tu iúbes ecférri | ómnĭă quaé | istí dedi?

Mil. 1338: Éxite átque ecférte huc íntus ómnĭă quaé | istí dedi[8],

versum Pseud. 563 desperans probabiliter corrigere.

Ad hos septem versus autem diverbiorum accedunt sex ex canticis:

Men. 974: Vérberā cómpedes[9].

Pers. 761: Quorum ópera haec míhi facilía factú factā sunt quaé volui éffieri[10].

Poen. 253: Sunt híc omniā quae ad deúm pacem opórtet[11].

---

1) Cf. pag. 8 adnot. 2).

2) Sic Leo. 3) ⟨nos⟩ add. Fleckeisen. 4) Bothe.

5) Ritschl et Taubmann. 6) Ritschl.

7) Fortasse post *omnia* pronomen interponendum est velut *hic*.

8) Versus Mil. 1314 et 1338 sunt sine offensione, si pro relativi forma *quae* ponimus rariorem: *quia*, de qua vide sis infra:

ómniă quĭa istí dedi (?)

9) Creticus dim. acat. 10) Anapaesticus oct.

11) Bacchiacus tetr. acat.

Rud. 199: Is navem atque ómniā pérdidit ín mari [1]).
Rud. 215: Algor, errór, pavor, me ómniā tenént [2]).
Rud. 933: Oppidā circúmvectábor; úbi nobílitas méa erit clára [3]).

Atque primum reiciendos esse ostendam illos tres versus sumptos ex Rudente. V. 199 enim ultima adiectivi *omnia* syllaba eum cretici tetrametri tenet locum, quo syllaba anceps admittitur et hiatus [4]). Quae res his confirmatur versibus:

Asin. 134: Nám mare haud ést marĕ, vós mare acérrumum.
Asin. 137: Quaé dedi et quód benĕ féci, at posthác tibi [5]).
Rud. 233: Cérto vox múliebrĭs aúris tetigít meas;

hiatus autem invenitur:

Asin. 135: Nam ín mari répperi | híc elaví bonis.
Cas. 149: Quándo is mi et fílio | ádvorsatúr suo.
Cas. 190: Néc mihi iús meum | óptinendi óptiost.
Rud. 950: Séd boni cónsili | écquid in té mihist?

Quod cum ita sit, iure versum Rud. 199 legemus:

Is navem átque ómniă pérdidit ín mari.

Quis autem nobis persuadebit versum Rud. 215:

Algor, errór, pavor, me ómnia tenent

creticum esse dim. acat. + clausulam —◡—◡— [6]), cum iam supra viderimus [7]) Plautum identidem creticos coninuxisse cum clausula —◡◡◡— ?

Quia circum versum Rud. 933 reperiuntur anapaesti, dissuadetur, ut eum compositum esse interpretemur ex trochaeis. Neque haec res editores effugit fabularum Plauti, qui omnes recepisse videntur:

Oppída circúmvectábor.
Vbi nóbilitás mea erít clara,

i. e. paroemiacus et anapaesticus dim. acatalectus.

Etiam versus Men. 974 et Poen. 253 altera legendi sunt ratione: v. Men. 974, cum antecedant versus bacchiaci (praeter v. 973) et sequatur eiusdem generis tetrameter, facile adducimur, ut dimetiamur:

Verbéra compedés [8]),

---

1) Creticus tetr. acat.
2) Creticus dim. acat. cum clausula —◡—◡—.
3) Troch. oct. 4) Cf. pag. 13. 5) De *benĕ* cf. infra.
6) De hac clausula vide Leo, l. c. pag. 8 sqq.
7) Pag. 11. 8) Sic Leo.

i. e. bacchiacus dim. catal., qui paulo ante (v. 972) reperitur cum clausula iambica [1]): Recórdetur íd, qui níhili sunt, quid eís preti.

Versus autem inde a Poenuli 252 usque ad 254 disponit Leo (nescio, num codicum secutus sit dispositionem; nihil enim adnotat) hunce in modum [2]):

Quiésco. ‖ Ergo amó te. sed hóc nunc respónde
Mihí: sunt hic ómnia,
quae ad déum [3]) pacem opórtet adésse? ‖ Omnia áccurávi,

i. e. bacchiacus tetrameter acat. + bacchiacus mon. cum clausula ⏑–⏑– [4]) + bacchiacus trim. cum Reiziano.

Iam unus superest versus Plautinus Pers. 761, qui ipse nos admonet, ne aetate Plauti litteram *a*, de qua dicimus, fuisse productam temere concludamus, cum syllabam longam non difficile sit removere. Qui versus vulgo legitur:

Quorum ópera haec míhi facilía factú factā sunt quaé volui éffieri;

C. F. W. Mueller autem, cuius partes sequitur Leo, proponit [5]):

Quorum ópera haec míhi facilía factú facta ⟨haéc⟩ sunt, quaé volui éffieri,

quam lectionem non dubito recipere.

Neque usquam alibi in litterarum Romanarum monumentis exstat locus, qui syllabam, de qua verba facimus, longam esse possit probare. Nam versus Ennii Ann. 300 (L. M.) sine dubio est corruptus [6]):

Eloqueretur et cunctā malaque et bona dictu;

itemque corruptela insinuavit in Ann. v. 93:

92: Conspicit inde sibi data Romulus esse † propriam [7])
Auspicio regni stabilitā scamna solumque.

Atque ego quidem inter *stabilita* atque *scamna* coniecerim omissam esse coniunctionem *et*, quam librarios frequenter omisisse nemo ignorat:

---

1) Cf. pag. 12. 2) Goetz-Schoell scribunt ictibus omissis: 253. 254: Sunt hic omnia, quae ad deum pacem oportet adesse? ‖ Omnia accuravi.

3) Non recte Leo: *quae ad deúm* . . . . ., quo ictu, nisi fallor, notare vult, *deum* per synicesin esse legendum. Cf. pag. 12.

4) Cf. pag. 15. 5) L. c. pag. 13.

6) Cf. Vahlen, Mus. Rhen. XIV 555 et L. Mueller in editione reliquiarum Ennii. 7) Vahlen: *priora*; L. Mueller: *propritim*.

Auspicio regni stabilita ⟨et⟩ scamna solumque.

Vnus, qui ex Terentii fabulis affertur versus, dubiae est naturae:

Ad. 612: Mémbra metu débiliā súnt: animus timóre [1]):
sunt choriambi: ⏑́⏑⏑—⏑́⏑⏑—⏑́⏑⏑—⏑⏑́—. Longe aliter autem dimetitur Spengel:

Mémbra métu debília súnt:
Animús timóre obstípuit,

i. e. trochaicus dim. cat. et iamb. dim. cat. [2]).

Ut igitur in linguae Latinae monumentis usque quaque *a* littera nominativi sg. primae declinationis brevis est, ita nominativus-accusativus plur. neutr. gen. in *a* productam desinens nusquam deprehenditur, sed huius vocalis correptio eodem fere tempore facta videtur esse, quo *a* nominativi sg. primae declinationis correpta est.

4. *Ablativus sg. primae declinationis.*

Ablativum sg. primae declinationis exiisse constat in *-ād*, id quod aevi vetustioris testantur inscriptiones, in quibus invenitur: *Hinnad* [3]), *praidad* [4]); et senatus consultum de Bacchanalibus [5]) (a. u. c. 568) semper ponit litteram *d* [6]), quamquam dubitari nequit, quin illa aetate haec *d* aut non dicta et audita sit aut tenuiter; nam apud Plautum *a* ablativi frequenter eliditur velut:

Amph. 193: Praeda átque agró | adóriáque adfécit pópularés suos,

et multis aliis locis. Neque mirum est, quod ablativus *d* littera abiecta apud omnes scriptores Romanos mittitur in *a* productam.

5. *Secunda persona sg. imperativi praes. act. primae coniugationis.*

Secunda persona sg. imperativi praes. act. quattuor coniugationum respondet secundae personae sg. indicativi praesentis,

1) Sic Fleckeisen, Vmpfenbach.

2) Verg. Aen. III 464 legitur *graviā* vi arseos, quippe quae forma tribrachyn efficiens in versu heroico locum habere non possit.

3) Schneider, Exempla 117: *M. Claudius M. f. consol Hinnad cepit.*

4) Schneider, l. c. 119: *M. Fourio C. f. tribunos militare de praidad Maurte deded.*

5) L. c. 97.

6) Velut: *sententiad*, *ead*.

scilicet praeter id quod imperativi formae *s* littera carent finali: *laudā-s* : *laudā; delē-s* : *delē; legi-s* : *legĕ* [1]); *audī-s* : *audī*. Quod cum ita sit, *a* imperativi usque quaque productam esse exspectamus. Neque tamen paucis accidit locis, ut haec syllaba brevis videatur esse, sed exempla ipsa facile nos docent hoc factum esse ex ea lege metrica, ex qua, si verbi iambici ictus est in paenultima vel sequitur productam, haec corripitur [2]): satis erit unum exemplum afferre itemque alterum:

Curc. 38: Iuventúte et púeris líberís, ămă quíd lubet.
Curc. 708: Quándo vír bonú's, respónde quód rogó. ‖ Rŏgă quód lubet.

6. *Antideā, anteā* [3]), *postideā, posteā, postillā, intereā, praetereā, eāpropter* [4]), *quā-propter.*

a litteram horum adverbiorum productam esse ex his intellegimus versibus Plautinis:

postideā:

Aulul. 118: Nunc quó proféctus súm ibo: póstideā domum.
Cist. 784: Vbi id erít factum, órnaménta pónent: póstideā loci [5]),

itemque semper cadunt in *a* productam *posteā* [6]), *postillā* [7]), *intereā* [8]), *praeterā* [9]), *proptereā* [10]), *quā-propter* [11]).

Quibus in adverbiis haeret controversia, utrum *-eā* (et *quā-*) ablativus sg. sit primae declinationis an accusativus plur. neutrius generis. Hoc contendit inprimis Corssen [12]), qui *a* productam accusativi plur. neutr. in his adverbiis servatam esse coactus est opinari: fieri non potuisse, ut olim praepositiones

---

1) *legĕ* pro **legĭ*, quia *i* brevis finalis in lingua Latina non servatur sed mutatur in *-ĕ*; cf. nominat. *marĕ* pro **marĭ*.

2) Cf. pag. 5, adnot. 5).

3) Adverbiis *antideā* et *anteā* Plautus non utitur, sed pro his adverbio *ante*.

4) Cf. Lucret. IV 337 (Lachm.):
Dextera eāpropter nobis simulacra remittunt.

5) Stich. 97. 758. 6) Most. 135. Poen. 147.

7) Poen. 467. 750.

8) Asin. 430. Men. 446. Mil. 810. Pers. 172. Pseud. 266. Rud. 226. Stich. 31. Truc. 32. 9) Aulul. 557. Merc. 88.

10) Mil. 1257.

11) Epid. 42. Men. 714. Most. 273. 825. Poen. 1336. Trin. 80.

12) Aussprache II 455 sqq.

ante, post, inter, praeter, propter, coniungerentur cum ablativo, deinde cum accusativo. Sed primum quidem scriptum videmus in senatus consulto de Bacchanalibus [1]: *sei ques esent, quei arvorsum ead fecisent, quam suprad scriptum est,* h. e. praepositio *adversus* (*adversum*), a qua aurea Latinitatis aetate pendet accusativus, cum ablativo coniungitur in hac inscriptione tam accurate scripta, ut *ead* errorem esse fabrilem dici non possit. Deinde in tabula Bantina [2]) reperitur: *post exac,* quae forma quin ablativus sing. sit feminini generis, dubitari nequit. Quamquam igitur in Latina quoque lingua praepositiones *ante, post, inter, praeter, propter* fortasse cum ablativo coniungi potuerunt, tamen haec adverbia non crediderim ea ratione orta esse, ut praepositio et forma (ablativus) pronominis determinativi a praepositione pendens coalescerent, potius vera, nisi fallor, interpretatio ducitur de adverbiis eiusdem fere generis *interibi* et *postibi.* In his enim bina adverbia (*inter* + *ibi, post* + *ibi*) copulando iuncta esse neminem effugit. Non aliter res mihi se habere videtur in adverbiis *interea* et *postea,* in quibus adverbia (praepositiones) *inter* sive *post* coniunctae sunt cum adverbio (ablativo) *eā,* non aliter in ceteris eiusdem generis [3]).

7. *Citrā* [4]), *extrā, infrā, intrā* [5]), *suprā, ultrā.*

Ex his apud Plautum mittuntur in *a* productam:

extrā:

Aulul. 711: Nam ego déclinávi paúlulúm me extrā viam.

suprā:

Curc. 477: Cónfidéntes gárrulíque et málevolí suprā lacum.

Pers. 819: Ego pol vós erádicábo. ‖ At té ille, quí suprā nos hábitat.

Quomodo de his adverbiis et praepositionibus iudicandum sit, apparet ex s. c. de Bacch., in quo scribitur *exstrad* [6]), *su-*

---

1) Schneider, l. c. 97. 2) Zvetajeff, pag. 76 (8), 77 (23).

3) Cf. *postmodo, deforas.* Cf. Skutsch, Jahresber. für roman. Philol. IV 76.

4) *citra, infra, ultra,* nisi fallor, neque apud Plautum neque apud alium illius aetatis poetam tali loco inveniuntur, ut de ultimae natura quid concludi possit.

5) Cf. Enn. Ann. 118. 422 (L. M.).

6) Cf. Oscorum *ehtrad.*

prad: sunt igitur ablativi sg. primae declinationis, qui postea *d* litteram finalem abiecerunt.

8. *Contra.*

De adverbio et praepositione *contra,* cuius forma simillima est adverbiis *citra, extra,* seorsum disserere oportet, quia in diversas abierunt partes viri docti, utrum aetate Plauti *contra* mitteretur in *a* productam [1]), qua aurea terminatur Latinitatis aetate, an in *a* brevem [2]), in quam adverbium *frustra* olim desiisse infra videbimus. Faciamus nos omnino ignorare, quae ultimae sit natura, et coactos esse ex servatis linguae Latinae monumentis usque ad Lucilium colligere, qua quantitate fuerit syllaba finalis. Atque sunt hi versus, in quibus *contra* occurrit, scilicet omissis eis, ubi *a* littera eliditur vel in eo est loco, quo sine dubio admittitur syllaba anceps:

Amph. 217: Prodúcit ómnem exércitúm. Contrá Telóboae ex óppido Legiónes éducúnt suás.
Pseud. 156: Adsístite ómnes cóntra me ét quae lóquar advórtite ánimum.
Rud. 242: Accede ad me átque adi cóntra. || Fit sédulo.
Truc. 124: Fer cóntra manum et paritér gradere.

Naev. praet. 6 (I 278 R.):
Cómitér seném sapiéntem cóntra redhostis? || Mín salust?
Ennius (Ann.?) [3]): Quis pater aut cognatus volet nos contra tueri.
Ennius (Ann. ?) [4]) : Contra carinantes verba atque obscena profatus.
Att. 538 (I 205 R.): Quem néque tuéri cóntra neque affarí queas [5]).

1) Cf. Stadelmann, l. c. pag. 22 sq.

2) Inprimis Vsener, Ind. schol. Gryphisvald. 1866, pag. 10 sq.; Bergk, Auslautendes D im alten Latein, pag. 82; nuper Skutsch, Plaut. und Rom. pag. 8. 3) L. M. fab. 428. 4) L. M. fab. 444.

5) Nonius 153, 14 affert ex libro XXVIIII Lucilii verba: nunc tu contra venis vel qui in nuptiis velsese neces te nec sine permitie. Quae verba valde corrupta correxit Vsener, l. c.:

nunc tu
contrā venis, ut qui in nuptis versere neceste
nec sine permitie.

Longe aliter autem L. Mueller in Nonii recensione

non tu
contraheris? volgi imperiis versere necessest
nec sine permitie.

Iam singulos perlustremus versus. In primo quidem Amph. 217 *contra* desinit in *a* productam:

Prodúcit ómnem exércitúm. Contrā Telóboae ex óppido.

Ex contrario dubitari nequit, quin eadem syllaba brevis sit Pseud. 156:

Adsístite ómnes cóntră me ét quae lóquar advórtite ánimum,

quo in versu syllaba, de qua dicimus, ultimam ante diaeresin iambici septenarii efficit thesin. Sed in versibus Rud. 242. Truc. 124. Naev. praet. 6 utrum *contra* in brevem mittatur syllabam an in productam, non potest diiudicari. Nam Rud. 242:

Accede ad me átque adi cóntrā. || Fít sédulo,

a littera in ea sede est cretici tetrametri, in qua syllabae brevis loco identidem succedit producta velut:

Amph. 236: Hóstes crebrí cadunt, nóstrī contra íngruont.
Curc. 109: Síne, ductím. Sed hac ábiīt, hac pérsequar.
Rud. 243: Cédo manum. || Accipe. || Díc, vīvisne? óbsecro,

in multis aliis versibus.

In versu Truc. 124 autem duplex dimetiendi exstat ratio:

Fer cóntră mănum ét paritér graderé,

vel:

Fer cóntrā mănum et paritér graderé,

quo in versu numeri ‒ ᴗᴗᴗᴗ ´ (dactylus, anapaestus) eadem ratione et eodem iure coniunguntur quo Mil. 1024:

Age age út tibi máxume cóncinnúmst. || Nullúmst *hōc stŏlĭdĭŭs sāxum.*

Denique Naev. praet. 6 legi potest:

Cómitér seném sapiéntem cóntră rĕdhóstis? || Mín salust?

vel:

Cómitér seném sapiéntem cóntrā rédhostis? || Mín salust?

ut *a* littera sit in thesi, quae indifferens est rhythmo [1]).

Dubiae naturae est versus Ennii:

Quis pater aut cognatus volet nos contra tueri,

quem ex Annalibus sumptum et hexametrum esse contendunt alii [2]), alii ex fabula quadam, velut Vahlen, sed qui *nos* ponit post *quis*, haec verba suspicatus esse reliquias duorum versuum iambicorum senariorum [3]):

1) Ut *contrā rédhostis* legamus, suadetur, ne syllaba finalis interrumpat solutam thesin. 2) Bergk, Ribbeck.

3) Vahlen, Ennii trag. rel. 443. 444.

⏑–⏑ quís nos páter aut cógnatús volet
Contrā tuéri –⏑–⏑–⏑– [1]).

Neque tamen, nisi fallor, pronomen *nos* opus est transponere, et coniecerim haec verba ex tragoediae (vel comoediae) cuiusdam parte petita esse, quae trochaicis ex septenariis erat composita:

⊥⏑–⏑, –⏑– quis páter aut cógnatús volet
Nós contrā tuéri –⏑, –⏑–⏑, –⏑– [2]).

Iam neminem effugiet nihil hic esse certi, nihil explorati. In altero versu Enniano et verba incerta sunt et numeri:

Contra carinantes verba atque obscena profatus,

quae scribit Vahlen (Ann. 181. 182):

contrā carinantes
Verba ⟨atra⟩ atque obscena profatus.

L. Mueller autem haec verba ex cantico fabulae cuiusdam esse suspicans adnotat anapaestos (v. 444. 445 fab.):

⏑⏑–⏑⏑ cóntrā cárinantés
Verba *aéque* obscéna profátus.

Denique syllaba, de qua dicimus, brevis aut producta esse potest Att. 538 (R.):

Quem néque tuéri cóntră nĕque áffarí queas,

vel:

Quem néque tuéri cóntrā néque ăffarí queas [3]).

Omissis igitur omnibus locis incertis restant duo Amph. 217 et Pseud. 156, quorum alter *a* finalem in *contra* praebet productam, alter brevem. Quod cum ita sit, triplex exstat ratio: aut Plautus promiscue usus est formis *contrā* et *contră;* aut, ut apud Plautum deleatur forma *contrā,* corrigendus est versus Amph. 217; aut huic poetae (simulque ceteris) deroganda est forma *contră*. Quomodo diiudicandum sit, non ex his duobus versibus (Amph. 217. Pseud. 156) ipsis colligere possumus, sed deliberandum est, quaenam ratio sit verisimilis. Primum contenderim Plautum non promiscue usum esse formis *contră* et *contrā;* id quod eo ipso apparet, quod Plautus accuratissime

---

1) L. Mueller ex his verbis restituit trochaicum septenarium (v. 428):

Quís patér contrā tuéri nós aut cógnatús volet?

2) Primum pedem trochaici sept. dipodiarum legem neglegendi habere licentiam satis constat. Cf. W. Meyer, l. c. pag. 43.

3) Cf. pag. 30 adnot. 1).

et diligenter seiungit breves vocales et productas neque unquam eandem formam modo mittit in longam modo in brevem syllabam. Ergo nobis diiudicandum est, utra ratio vera sit, terminaveritne Plautus adverbium *contra* brevi an producta vocali. Videamus, quibus argumentis haec adiuvetur ratio, quibus illa. Litteram *a* productam esse confirmat:

1) Versus Plautinus Amph. 217.

2) Quod aegre adducimur, ut adverbium *con-tra* divellamus a formis *ex-tra, in-tra* etc.

3) Quod Oscorum *contrud* [1], Lat. *contrō-* in *contrō-versia* etc. etiam formam *contra* pristinum esse ablativum indicat et respondent formae: *contrud, contrō-* : *contrā* = *citrō, intrō* : *citrā, intrā.*

Brevem autem ultimam esse nihil confirmat nisi:

versus Plautinus Pseud. 156.

Mihi quidem haec argumenta spectanti non dubium videtur esse, quin semper ultima in *contra* fuerit producta atque hoc adverbium ut *suprā* ex *suprā-d, extrā* ex *ex-trā-d* ortum sit ex **contrā-d*, atque eo magis hoc ut credam adducor, quod etiam in nonnullis aliis versibus in ultimam thesin ante diaeresin iambici septenarii insinuavit syllaba longa, ut emendare necesse sit. Huc accedit, quod non difficile est explicare, quonam modo factum sit, ut huius versus modi turbarentur. Est enim in v. Pseud. 156 altera corruptela, cum apud Plautum *contra* nondum sit praepositio, a qua pendet accusativus, sed usque quaque adverbium, id quod perbene intellegitur ex versu Capt. 664:

At ut cónfidénter ⟨hómo⟩ m i h í c o n t r a á s t i t i t.

Quae res cum ita se habeat, versum Pseud. 156 scriptum fuisse coniecerim:

Adsístite cóntra omnés mihi ét quae lóquar advórtite ánimum,

atque nescio quem librarium Plautinum adverbii *contra* usum ignorantem coniunxisse vocabula *contra* et *mihi* atque correxisse *contra me,* quippe qui *contra* praepositionem coniungi sciret cum accusativo [2]).

---

1) Tab. Bant. 11, 17, 25: *contrud exeic.*

2) Corrigendus est etiam v. Pers. 13:

Quís illic ést qui cóntra mi ástat? || Quís hic est quí sic cóntra mi ástat,

in quo bis traditum est: *contra me.*

9. *Frustra*.

Adverbium *frustra* optima Latinitatis aetate desinit in *a* litteram productam. Quod antea effecisse trochaeum neque apud Plautum unquam efficere spondeum diu perspexerunt viri doctissimi[1]) hos afferentes septem versus, in quibus *frustra* cadit in *a* brevem:

Merc. 528: Nunc, múlier, né tu frústră sís, mea nón es, ne árbitrére,

et sexies in fine iambici senarii vel trochaici septenarii *ne frustră sis:* Capt. 854. Men. 692. Pers. 140. Rud. 969. 1255. Truc. 754.

Manifestum igitur est adverbium *frustra* non esse ablativum sg. primae declinationis sed alium casum sive nominativum sg. primae declinationis sive nominativum-accusativum plur. neutrius generis[2]). Forma *frustrā* autem postea orta est propter similitudinem adverbiorum *citrā, extrā.*

10. *Ergā, iuxtā, quā, unā*[3]).

Cum ea linguae Latinae adverbia, quae exeunt in *ā*, pristinos esse ablativos supra intellexerimus, iure etiam adverbia *ergā, iuxtā*[4]), *quā, unā* eiusdem generis esse formas iudicabimus, quia, ubicumque occurrunt, longa terminantur syllaba.

11. *Ita, ita-que*.

Qua quantitate littera *a* in adverbiis *ita* et *ita-que* apud Plautum fuerit, difficile est perspicere, quia persaepe ictus est in paenultima vel sequitur ultimam: *ítă, ĭtă* ⏑́.

Apud Ennium autem haec adverbia efficere pyrrhichium nos docent hi versus Annalium:

---

1) Vsener, l. c. pag. 13. Spengel, Plautus, pag. 62sq. Skutsch, forsch. I, 8.

2) Cf.. Skutsch, l. c. pag. 8 adnot. 1): nach dem plautinischen gebrauch von *frustra* erscheint es nicht ausgeschlossen, dass *frustra* ein nominativ war. Das betreffende substantiv (sei es nun **frustra* oder **frustrum*) liegt dem verbum *frustrari* zu grunde.

3) Adverbium *circā* ante saec. VII. a. u. c. non reperitur.

4) Quae adverbiorum *erga* et *iuxta* sit etymologia, non liquet. Vid. Lindsay-Nohl, die lat. sprache, pag. 671 et 673. — Cf. *ergō* : *ergā*=*intrō*: *intrā*.

33: Et ripas raptare locosque novos. Ită sola.
119: Et simul effugit speres ită funditu' nostras.

Atque multi exstant versus Plautini, ubi ictus est in syllaba *-ta* et duae sequuntur syllabae, quarum prima una cum *-tá* efficit arsin solutam, altera thesin. Cuius rei exempla sunt haec:

Bacch. 751: Quía mi itá lŭbet: pótin ut cúres té atque ut né parcás mihi?
Cas. 175: Itá sŏlent ómnes quae súnt male núptae.
Cist. 151: Itá prŏperávit dé puéllae próloqui.
Curc. 48: Quid itá? ‖ Quĭa próprium fácio: amó paritér simul.
Mil. 1260. Tene me, óbsecró. ‖ Quor? ‖ Né cadám. ‖ Quid itá? ‖ Quĭa stáre néqueo.
Most. 685: Itá mĕa cónsilia úndique óppugnás male.
Poen. 691: Quid itá? ‖ Quĭa, ⟨a⟩ múscis sí mi hospítium quaérerem.
Pseud. 77: Quid itá? ‖ Genus nóstrum sémper síccoculúm fuit.

Praeter hos versus comprobat syllabam brevem Rud. 212:

Aút viam aut sémitam mónstret ita nunc,

i. e. creticus dim. acat. cum clausula — ◡◡◡ —.

Tamen non mediocris exstat numerus versuum, in quibus syllaba *-ta* producta videtur esse, quos, etsi de parte eorum iam verba fecit C. F. W. Mueller[1]), non supervacaneum erit denuo accurate componere.

1) Ex diverbiis:

Amph. 1077: Tua Brómia ancílla. ‖ Tótus tímeo, itā me incrépuit Iúppiter.
Amph. 1081: Amphítruo: itā mihi ánimus étiam núnc abést. ‖ Agedum éxpedi.
Asin. 18: Itā te obtéstor pér senéctutém tuam.
Aulul. 69: Queo cómminísci: itā me míseram ad húnc modum.
Capt. 93: Itā nunc bélligeránt Aetóli cum Aleis.
Capt. 372: Quom sérvitútem itā fers, út ferrí decet.
Cas. 343: Tibi ét Chalíno: itā rem nátam intéllego.
Cist. arg. 10: Itāque lége et ríte cívem cógnitam.
Curc. 667: Quam ob rem ístuc? ‖ Quía ille itā reprómisít mihi.
Merc. 762: Mihí quidem hércle. ‖ Itā me amábit Iúppiter.

1) L. c. pag. 14. 15.

Mil. 1047: Quă ăb ílla? nám itā me óccursánt multaé: meminísse haud póssum [1]).
Most. 389: Sátin habés, si ego ádveniéntem itā patrém faciám tuom.
Poen. 566: Víx quidem hércle, itā pauxíllast, dígitulís primóribus.
Poen. 705: Quid itā? || Quia aúrum póscunt praésentárium.
Poen. 1258: Num hi fálso obléctant gaúdió nos? || At me itā di sérvent.
Trin. 447: Homo égo sum, homo és tu: itā me amábit Iúppiter.
Truc. 276: Ne áttigás me. || Egón te tángam? Itā me amabit sárculum.

Ad hos versus accedunt duo ex diverbiis Terentianis:
Eun. 697: Fratérne? || Itā. || Quando? || Hódie | Quám dudúm? || Modo.
Phorm. 542: Itane? || Itā. || Sane hércle púlchre suádes: étiam tu hínc abis?

2) Ex canticis:
Amph. 635: Itā dis est plácitum, volúptatem ut maéror comés consequátur [2]).
Capt. 502: Itā me miserúm restitándo retinéndo [3]).
Pseud. 1253: Itā victu excúrato, ita múnditiis dígnis [3]).

Tantus numerus versuum primum legenti bonam praelucet spem eis posse probari adverbium *ita* apud Plautum re vera terminari syllaba producta. Sed accurate hos versus perlustrantes videbimus omnes fere alio modo legi posse, nonnullos sine dubio esse corruptos.

Atque ex illis undeviginti versibus, qui exstant in diverbiis, primo loco detrahendi sunt quattuordecim, quos cum hiatu legere licitum est:

a) cum hiatu legitimo in diaeresi:
Amph. 1077: Tua Brómia ancílla. || Tótus tímeo, ítă me incrépuit Iúppiter.
Most. 389: Sátin habés, si ego ádveniéntem ítă patrém faciám tuom.
Truc. 276: Ne áttigás me. | Egón [4]) te tángam? ítă me amábit sárculum.

b) cum hiatu legitimo ante personam mutatam [5]):

---

1) Sic Mueller. 2) Bacchiacus hexameter.
3) Bacchiacus tetrameter acal.
4) Vel: égŏn te tángam? . . . 5) Cf. pag. 6.

Merc. 762 Mihí quidem hércle. || Ită me amábit Iúppiter.
Ter. Eun. 697: Fratérne? | Ită. || Quando? || Hódie. | Quám dudúm? | Modo.
Phorm. 542: Itane? || Ită. | Sane hércle púlchre suádes: étiam tu hínc abis [1]).

c) cum hiatu in caesura iambici senarii, de quo vide sis supra pag. 5:
Aulul. 69: Queo cómminísci: | ítă me míseram ad húnc modum.
Capt. 372: Quom sérvitútem | ítă fers, út ferrí decet.
Cas. 343: Tibi ét Chalíno: | ítă rem nátam intéllego.
Curc. 667: Quam ob rem ístuc? || Quía ille | ítă reprómisít mihi [2]).
Trin. 447: Homo égo sum, homo és tu: | ítă me amábit Iúppiter.

d) cum hiatu quamquam non legitimo [3]):
Amph. 1081: Amphítruo: | ítă mihi ánimus étiam núnc abést. | Agedum éxpedi [4]).
Poen. 566: Víx quidem hércle — ítă pauxíllast — dígitulís primóribus [5]).
Poen. 705: Quid itá? | Quĭă aúrum póscunt praeséntárium [6]).

Secundo loco reiecerim versus Asin. 18. et Poen. 1258, in quibus pro *me* et *te* substituendae sunt formae *med* et *ted:*
Asin. 18: Ită téd obstéstor pér senéctutém tuam [7]).
Poen. 1258: Num hi fálso obléctant gaúdió nos? || At med ítă di sérvent [8]).

Porro v. Mil. 1047 non ea ratione traditus est, qua eum affert Mueller [9]), sed potius:
Quă ăb íllarúm? nam ĭtă me óccursánt multaé: meminísse haud póssum.

Deinde corruptela est in versibus Capt. 93 et Cist. arg. 10.

---

1) Cf. Eun. 409: Perpaúcorum hóminum. | Immo núllorum árbitror.
Phorm. 146: Quod dét fortásse? || Immo níl nisi spém meram,
porro Phorm. 963. Adelph. 604. 767. Spengel, Ter. Andr. XXXIII: [der hiat ist] also auch hier [beim personenwechsel, überliefert] vor interjektionen oder den interjektionen nahe kommenden adverbien.

2) Vel: Quam ob rem ístuc? || Quía illi<c> ítă reprómisít mihi.

3) Cf. pag. 4. 4) Sic Leo.

5) Hiatus, nisi fallor, defenditur, quia *ita pauxillast* est parenthesis.

6) Cf. Luchs, Herm. VIII 114. — Hiatum in hoc versu accipere non necesse est, cum ante personam mutatam admittatur syllaba anceps: *Quid ită?* || *Quia aúrum* . . .

7) Forma *ted* tradita est in codice D.

8) Cf. Wackernagel, idg. forsch. I 410. 9) Cf. supra pag. 35.

In hoc enim versu — ut praetermittam eum non in fabula ipsa exstare sed in argumento — adverbium *itaque* aegre quadrat in sensum:

9. Requírens sérvos réperit quám proiécerat.
Itāque lége et ríte cívem cógnitam
Alcésimárchus, út erat náctus, póssidet,

maximeque desidero voces *civem cognitam* aperte et concinne coniunctas esse cum eis, quae antecedunt, verbis. Quod cum ita sit, ego quidem legendos esse coniecerim hos versus:

Requírens sérvos réperit quám proiécerat,
Illámque lége et ríte cívem cógnitam
Alcésimárchus, út erat náctus, póssidet,

cum ex *illamque, illāque* facile corruptela *itaque* evadere potuerit.

In versu Capt. 93. autem, si legitur:

Itā nunc bélligeránt Aetóli cum 'Aleis

turbati sunt numeri, quia neque semiquinaria neque semiseptenaria exstat caesura. Neque tamen dimetiri sufficit:

Itā núnc bellígerant Aétolí cum | Aleis

cum hiatu (non legitimo) inter *cum* et *Aleis* [1]), ne paenultima producta in *Aetōli* quartam iambici senarii efficiat thesin, id quod cum lege pugnat dipodiarum [2]). Cum igitur verba: *Aetóli cum Aleis,* i. e. — ⊥ — ⊥ ◡ — in fine versus sint sine offensione, mendum in **prima** huius versus parte esse apparet, praesertim cum verba, quae antecedunt, cum versu 93 non concinne sint coniuncta. Emendatione igitur opus est, sed probabilem aut verisimilem confiteor me nescire, ut in prima versus 93 parte coacti simus ponere crucem, ut aiunt, desperationis.

Restat, ut verba faciam de illis tribus, qui ex canticis petiti sunt, versibus: Amph. 635. Capt. 502. Pseud. 1253.

Ex quibus diu correctus est v. Amph. 635, cum legatur:
Itā dí⟨vi⟩s est plácitum, volúptatem ut maéror comés consequátur [3]).

Capt. 502 autem dubiae est naturae. Quam ob causam Goetz-Schoell omiserunt ictus, verum Leo proponit:

Itā me míserum réstitándo
Rétinendóque lássum réddidérunt,

adnotans: trochaei esse videntur [4]).

1) Hiatum accipiunt Goetz-Schoell, Brix-Niemeyer, (Leo?).
2) Cf. pag. 2. 3) Sic Leo.
4) Trochaicus dim. acat. + troch. mon. acat. + ithyphallicus.

Denique versum Pseud. 1253 praebet Ambrosianus:

Ita victu excurato ita magnis munditis, dis dignis,

quem suppleverunt Goetz-Schoell:

Ită víctu excúrato, ítă magnís mundítiis dí⟨vi⟩s dígnis,

et Studemund, stud. I 404:

Ită víctu excúrato, ítă magnís mundítiis ⟨ét⟩ dis dígnis,

non bacchios esse intellegentes sed anapaestos.

Nullus igitur exstat locus, quo *ita* (vel *ita-que*) producta terminetur syllaba. Cum autem omnia adverbia, quae in lingua Latina exeunt in *a*, mittantur in *a* productam, olim fuisse verisimile est formam **itā* (etymologia est obscura), sed cui per legem iamborum correptionis ipsis antiquis temporibus subiit forma *ită*.

12. *Quia.*

Coniunctionem *quia* deducendam esse Corssen [1]) sibi persuasit ex instrumentali sg. relativi pronominis *quī* et ex adverbio *iam*: **quīiam*, qua ex forma tamen nullo modo evadere potuit pyrrhichius *quĭă*. Nam praeterquam quod *i* productam desideramus ex *ī* + *i* ortam, intellegi nequit, qui factum sit, ut *m* littera finalis interiret et ne vestigium quidem sui relinqueret. Huc accedit, quod quae vera huius adverbii sit interpretatio, est in promptu: scilicet nominativus-accus. plur. neutr. gen. pronominis relativi et eius stirpis, quam hoc pronomen recepit ex interrogativo [2]). Inde inter se respondere apparet formas **quiā* et *qui-ă* ut **mari-ā* et *mari-ă*, etsi iam apud Plautum nusquam, ut videtur, *quia* relativi fungitur vice [3]). Cum autem *a* litteram finalem nominativi-acc. plur neutr. gen. Plauti aetate correptam fuisse supra demonstravisse mihi videar, quid verisimilius est quam in coniunctione *quia* quoque ultimam non servatam esse productam, praesertim cum legem iamborum correptionis (*quíă, quĭă* ⏑́) ultima ut breviaretur, eo facilius efficere oporteret? Hoc confirmatur, quod, ubi apud Plautum finali ictus est in syllaba [4]), usque

1) Aussprache II 850. 2) Cf. Leo, plaut. forsch. 287.

3) V. Cist. 682 exhibent codices B[1] et C.: Nunc véstigia híc si *quia* súnt noscitábo, sed in hoc versu num forma *quia* recipienda sit, eo magis incertum est, cum hac bacchiaci tetrametri sede pyrrhichius non admittatur nisi certis condicionibus. Cf. supra pag. 12. Ambigui sunt etiam versus: Mil. 1314 et 1338; cf. pag. 23.

4) Plerumque deprehenditur: *quiă* vel *quĭă* ⏑́

quaque (uno excepto loco) duae sequuntur syllabae, quarum prima cum syllaba *-a* arsin efficit solutam, altera thesin:
Epid. 177: Quiá lĭcitúmst eam tíbi vivéndo víncere. ‖ Oh.
Pers. 255: Quiá mĕo amíco amícitér hanc cómmoditátis cópiam.
Pers. 546: Nísi quiá spĕcié quidem édepol líberálist, quísquis est.
Trin. 938: Nísi quiá lŭbet éxperíri, quo évasúrust dénique.
Truc. 786; Nísi quiá tĭmeó tamen[1] . . . . .

Neque tamen desunt, qui uno utique versu coniunctionem *quia* efficere iambum contendant: Merc. 395:

Qui veró? ‖ Quiā non nóstra fórmam habét dignám domo.

Quod ego non crediderim. Nam cum paulo post inveniatur: v. 405: Néque sinám. ‖ Qui véro? ‖ Quía illa fórma mátrem fámilias,
facile adducimur, ut in versu 395 quoque suspicemur eadem ratione ictus distributos fuisse: *qui véro?* ‖ *Quíă*, atque ante *qui vero* a librario coniecerim interiectionem quandam (fortasse *ah*) esse omissam[2]).

II.

Formae in *-ē* exeuntes.

1. Ablativus sg. in -ē tertiae declinationis.

In tertiam, quae dicitur, linguae Latinae declinationem satis notum est duas confluxisse declinationes: et stirpium in *i* et earum, quae desinunt in consonam; quarum declinationum haec efficit ablativum in-*ĕ*[3]), *illa* in-*ī*, quae orta est ex *-īd*. Aurea Latinitatis aetate promiscue uterque profertur ablativus, quia partim stirpium in *i* desinentium receperunt *-ĕ* finalem earum, quae in consonantem exeunt, partim stirpium in consonantem exeuntium asciverunt *i* productam. Sed usque ad id temporis contenderunt viri docti aevo vetustiore ablativum sg. stirpium, quae cadunt in consonantem, servatum esse in *-ē* ex *-ēd*, quem ablativum genuinum esse opinantur alii, alii eum re vera desiisse in *-ĕd* (*-ĭd*) : **aerĕd, *nominĕd,* et eos in *-ēd -īd* : **igned* (: *ignē*)

1) Reliqua huius versus pars prave tradita est.
2) Cf. Mueller, nachtr. pag. 3.
3) Haec forma est vetustus locativus: *generĭ* ex *generĭ* : scr. *jánasi*.

aerīd, *nominīd* ortos esse analogia[1]). Atque reperitur ablativus in-*ē* hisce in versibus Plautinis[2]):

Amph. 542: Númquid vís? | Vt quom ábsim mé ames, métuam té absentē tamen [3]).

Amph. 826: Amphitruó aliús, qui fórte téd hinc ábsentē tamen [4]).

Amph. 860: Quídquid ést, iam ex Naúcratē cognáto id cógnoscám meo.

Asin. 873: Ille operē forís faciúndo lássus nóctu ⟨ad me⟩ ádvenit [5]).

Bacch. 628: Múlta mála me in péctorē nunc ácria átque acérba evéniunt.

Cas. 140: Quasi mús, in médio párietē vorsábere.

Cas. 318: Cum eádem quá tu sémper. | Cúm uxorē mea?

Pers. 41: Quód tu mé rogás; nam tú aquam a púmicē nunc póstulas.

Pseud. 761: Omnes órdinē sub sígnis dúcam légionés meas [6]).

Ex quibus exemplis certissima sunt neque ullo modo reicienda: *Naucratē, operē, pectorē, uxorē, ordinē.* Quomodo de his iudicabimus formis? Utrum formam in *-ēd*, *-ē* pristinam esse putabimus, ex qua postea evaserit forma in *-ĕ*? An re vera ablativus olim desiit in *-ĕd?* An ei in *-ēd* effecti sunt analogia? Minime, cum stirpes in consonantem desinentes ablativum neque unquam in *-ĕd* (*-ĭd*) efficere potuerint neque in *-ēd*, *-ē*; et cum neque ex ablativo in *-ĕd* (*-ĭd*) neque ex illo in *-ēd*, *-ē* exsistere potuerit ablativus in *-ĕ*. Aliam igitur has formas interpretandi rationem necesse est inire, quam rationem, quae vera sit, aevi vetustioris nos docent inscriptiones. In his enim deprehenduntur pari modo formae : *aetate* [7]), *honore*[8]) *tempestate*[9]), *aire*[10]), et praeter hos : *airid*[11]), *conventionid*[12]), *virtutei*[13]). Quibus ex formis olim ablativum stir-

---

1) Cf. Corssen, aussprache II 462; Buecheler-Windekilde pag. 96 sqq.; Stadelmann, l. c. pag. 37 sqq. 40. 41.

2) Omisi eos versus afferre, in quibus occurrunt ablativi stirpium in *i* exeuntium velut *carnī* (*carne* A P) Capt. 914; *partī* (C D, *parte* B) Men. 478; *sortī* Cas. 428; *mortē* (E, sscr. *mrti-*) Mil. 707, et incertos velut Capt. 807. Pseud. 616. 938. 1312, alios.

3) Cod. *absentem*.

4) Sic omnes codices.

5) ⟨*ad me*⟩ adiecit Fleckeisen.

6) Cod. *ordines*, correxit Scaliger.

7) Schneider, l. c. 91,2.

8) Schneider, l. c. 91,5.

9) l. c. 96,5.

10) l. c. 24.

11) l. c. 131.

12) l. c. 91,5.

13) l. c. 91,5

pium in *i* desinentium magis quam aurea Latinitatis aetate insinuavisse apparet in eas stirpes, quae cadunt in consonantem, atque locativum *ĕ*, qui ablativi fungitur vice, summovisse. Quod cum ita sit, non in errorem inducemur formas *absentē, Naucratē, operē, pectorē, parietē. uxorē, pumicē, ordinē* intellegentes substitutas esse a librariis in locum earum, quibus usus est Plautus : *absentī, Naucratī, operī*[1]*, pectorī, parietī, uxorī, pumicī, ordinī,* vel *absentei, operei, ordinei* etc., praesertim cum nonnullis in versibus vel codices praebeant formam in *i* exeuntem velut:

Capt. 258: Quós tam grándi sím mercátus praésentí pecúnia[2]).
Mil. 1341: Béne quaeso ínter vós dicátis mí med ábsentí tamen.

2. *Ablativus sg. quintae declinationis.*

Ablativus sg. stirpium in *ē* exeuntium usque quaque desinit in *e* longam, cuius rei apud Plautum quoque multa reperiuntur exempla, velut:

Bacch. 827: Quanto ín períclo et quánta in pérniciē siet,

aliisque in versibus[3]). Neque dubium est, quin ablativus in *-ē* velut *rē, fidē* ortus sit ex **rēd, *fidēd,* quamquam eius generis exemplum non est servatum. Nam in eis quoque versibus, ubi post ablativum sg. quintae declinationis deprehenditur hiatus velut:

Merc. 629: Dé istac rē | argútus és, ut pár parí respóndeas.
Pseud. 19: Iuvábo aut rē | aut ópera et cónsilió bono,

vix credibide est formam *rēd* esse restituendam.

Ceterum nonnulli exstant versus, in quibus hic ablativus brevi videtur terminari syllaba, velut:

Pers. 243: Fídĕ datá credámus. | Nóvi : omnés sunt lénae lévifidae,

sed haec correptio, ubicumque occurrit, effecta est vi legis iamborum correptionis.

3. *Secunda persona sg. imperativi act. secundae coniugationis.*

Haec quoque forma nusquam cadit in *e* brevem. Nam ut in

---

1) *corpori* praebet etiam lex Iulia municipalis, Schneider, l. c. 312, 122. 2) VE *praesentia*.

3) Quintae declinationis est etiam nomen *fames*. De ablativo vide Asin. 145. Cist. 45. Most. 193. Pers. 318. Stich. 216.

prima coniugatione secunda persona imperativi praesentis act. — quippe caret *s* littera finali — respondet secundae personae indicativi praesentis velut: *laudā* : *laudā-s* [1]), non aliter respondet *gaudē* formae *gaudē-s*. Longam syllabam autem confirmant apud Plautum:

Amph. 848: Edepol mé lubénte fácies. || Quíd ais? réspondē mihi.

Amph. 1110: Né pavē: sed ángues óculis ómnis círcumvísere, permultique alii versus [2]). Ubi *e* littera brevis videtur esse, eam breviat lex illa iamborum correptionis, ut creberrime in imperativis: *cávĕ, dócĕ, hábĕ, iúbĕ, mánĕ, mónĕ, móvĕ, tácĕ, ténĕ, válĕ, vídĕ.*

4. *Infinitivus activi in -re.*

De infinitivo praesentis activi nuper verba fecit vir doctissimus Solmsen [3]) non modo infinitivum in *-rĕ* contendens, id quod nemo negat, esse vetustum locativum (*viverĕ* : sscr. **jīvási*), sed etiam servatas esse formas in *-rē* et *viverē* respondere sscr. *jīváse*. Atque Solmseni ipsius verba sunt haec [4]): „.... fragen wir, was aus idg. **gīu̯ĕsăi* = ai. *jīváse* im lateinischen werden musste, so muss die antwort lauten: zunächst *viverē*. Nach dem bilde, das die inschriften uns gewähren, dürfen wir diese orthographie in plautinischer zeit noch durchaus erwarten, und ich meine, wenn wir nun im Plautustext tatsächlich noch infinitive activi auf *-erē* finden, so dürfen wir sie unbedenklich den ai. auf *-áse* gleichsetzen".

Antequam videamus, quae sint exempla Plautina in *-rē*, paucis liceat confirmare iam Plautum sine dubio infinitivum in *-re* misisse in *e* brevem:

Mil. 82: Vt sít ubi sédeat, ílle qui aúscultárĕ volt.
Trin. 734: Paráta dós domíst: nisi éxspectárĕ vis.
Merc. 250: Capram ábduxísse, et coépit inridérĕ me.
Trin. 661: Pérpetí nequeó, simúl me píget parúm pudérĕ te.
Curc. 74: Me, té atque hos ómnis. || Túm tu Vénerem vómerĕ vis.
Cas. 853: Paene éxposívit cúbito. || Cúbitum ergo írĕ volt.

---

1) Cf. supra pag. 27.

2) Reperiuntur formae: *despondē, gaudē, habē, iubē, manē, pavē, respondē, salvē, tacē, tenē, valē, vidē.*

3) Idg. forsch. IV 240 sqq.

4) l. c. pag. 250.

Stich. 419: Ere, sí ego táceam seú loquár, scio scírĕ te [1]).

Quibus ex versibus Plauti aetate syllabam *-re* infinitivi satis apparet fuisse correptam. Versus autem, in quibus infinitivus cadit in *e* longam, sunt hi:

a) Ex diverbiis:

Asin. 250: Atque argénto cómparándo fíngerē falláciam.
Merc. 934: Stúltus és: noli ístuc, quaéso, dícerē. || Certum éxsequist.
Mil. 848: Numquam édepol vídi prómerē. Verum hóc erat.
Mil. 1316: Tíbi salútem mé iussérunt dícerē. || Salvaé sient.
Pseud. 355: Ego sceléstus núnc argéntum prómerē possúm domo.
Pseud. 1003: Nullám salútem míttere̅ scriptám solet?
Trin. 585: Nam cértumst síne dote haúd darē. || Quin tu í modo.
Truc. 425: Non aúdes áliquid míhi darē munúsculum?

Ad hos versus Plautinos adicias duos:

Tit. 105 (R. Com.): Ipsús quidem hércle dúcerē sané nevolt.
Ter. Andr. 437: Potin és mihi vérum dícerē? || Nil fácilius.

b) Ex canticis:

Most. 696: Vóluit in cúbiculum abdúcerē me anus [3]).
Most. 710: Péius posthác forē quám fuít mihi [3]).
Pseud. 1299: Cúm corolla ébrium incéderē? || Lubet [3]).
Rud. 209: Quaé mihist spés, qua me víverē velim [3]).
Rud. 244: Tú facis mé quidem ut víverē núnc velim [4]).

Numerus sane non mediocris. Sed primum fides deroganda est quattuor versibus: Merc. 934. Mil. 1316. Trin. 585. Ter. Andr. 437, quia in eis syllaba, de qua quaerimus, est ante mutatam personam, ubi syllabam admitti ancipitem identidem supra vidimus [5]). Item quattuor reiciendi sunt: Most. 696. Pseud. 1299. Rud. 209. 244, quos versus alia ratione ac supra dimetiri licitum est:

Most. 696: Vóluit in cúbiculum abdúcerĕ me anus.
Pseud. 1299: Cúm corolla ébrium incéderĕ? || Lubet.
Rud. 209: Quaé mihist spés qua me víverĕ velim,

qui tres versus sine ulla dubitatione cretici dimetri acat. sunt non cum clausula —◡—◡—, sed potius cum clausula —◡◡◡—.

---

1) Praeter hos versus cf. Curc. 173. Pers. 515. Truc. 223. Merc. 644. Poen. 555. Stich. 301.

2) Cf. Buecheler-Windekilde, l. c. pag. 120.

3) Creticus dimeter acat. cum clausula: —◡—◡—.

4) Creticus tetrameter acat. 5) Cf. pag. 6.

Versus Rud. 244 autem:

Tú facis mé quidem ut vívĕrĕ núnc velim

est creticus dimeter acat. cum clausula —◡—◡—, cuius prima thesis hoc in versu duabus efficitur syllabis brevibus.

Deinde minimi est pretii versus Most. 710:

Péius posthác forĕ quám fuít mihi,

cum inter colon creticum et clausulam —◡—◡— syllabam ancipitem licitum sit ponere [1]).

Porro incerta sunt verba Titinii, cum, utrum haec verba unius versus sint an duorum, nesciamus. Atque mihi quidem verisimile videtur esse ea duobus tribuenda esse versibus:

. . . . . ipsús quidem hércle dúcere
Sané nevólt . . . .,

nisi fallor, iambicis senariis (vel octonariis [2]).

Iam quinque supersunt versus:

Asin. 250: Atque argénto cómparándo fíngerē fалláciam.
Mil. 848: Numquam édepol vídi prómerē. Verum hóc erat.
Pseud. 355: Ego sceléstus núnc argéntum prómerē possúm domo.
Pseud. 1003: Nullám salútem míttere scriptám solet?
Truc. 425: Non aúdes áliquid míhi darē munúsculum [3]),

ex quibus facillimum est corrigere versum Pseud. 355, cum scribatur:

Ego sceléstus núnc argéntum prómerĕ pŏtis súm domo.

Qui versus iure in suspicionem nos adducit etiam quattuor reliquos non recte esse traditos atque de formis: *fingĕrē, prōmĕrē, mĭttĕrē,* ◡◡ *dărē* eadem ratione iudicandum esse ac de formis velut *ōmnĭbūs, vēnĭmūs,* aliis eiusdem generis, de quibus accurate supra pag. 8 feci verba. Quae res cum ita se habeat, iam nemo dubitabit, quin Plautus infinitivum praesentis act. usque quaque terminaverit in *e* brevem [4]).

Sed sententiam suam ut confirmet, pergit vir doctissimus Solmsen [5]): wir haben ein schwerwiegendes zeugniss für den

1) Cf. pag. 24.

2) Etiam trochaici sept. esse possunt: Sáne névolt . . . .

3) Facile est transponere: *dáre mihí munúsculum.*

4) Versum Pers. 642: Iám de istóc rogáre omítte. Nón vidés nollē loqui,
iam correxit Camerarius:

Iám de istóc rogáre omitte. Nón vidés nolle ⟨é⟩loqui.

5) l. c. pag. 250.

activischen gebrauch des infinitivs auf -ī in der formel, durch die der censor das volk zum census berief und die uns Varro L. L. VI, 86 aufbewahrt hat: *si quis pro se prove altero rationem dari volet.* Iam supra cum de tertiae declinationis ablativo in *e* feci verba, demonstravisse mihi videor, quid fidei in tali re libris habenda sit manuscriptis. Tamen hoc levius, gravius autem illud: eodem iure ac contendit Solmsen hanc *i* in *dari* esse *productam,* alter dicet atque affirmabit in his verbis vetustissimis servatam esse *i brevem* finalem locativi, ex qua postea evadere oportebat *e* brevem, neque quisquam facile eius refutabit sententiam.

Neque vero opinionem viri doctissimi Solmsen confirmant inscriptiones, etsi verba eius iam supra allata: „... *viverē.* Nach dem bilde, das die inschriften uns gewähren, dürfen wir diese orthographie in plautinischer zeit durchaus erwarten", nobis iniciunt suspicionem in inscriptionibus infinitivum praes. act. per vicem mitti in I, E, EI, quae ratio scribendi syllabam finalem ortam esse confirmat ex diphthongo. Hanc variam enim scribendi rationem praebent inscriptiones in infinitivo praes. passivi: *pakari* [1]), *[den]ontiari* [2]), *fieri* [3]) : *darei* [4]), *legei* [5]); contra infinitivus praes. activi usque quaque terminatur littera *e*: *cedre* [6]), (*compromesise*) [7]), *audeire* [8]), *eire* [9]) ... Quod cum ita sit, iure adducimur illam sententiam ut recipiamus, in lingua Latina ab initio locativum sg. velut *viverĕ* ex **viverĭ,* sscr. **jīvási* functum esse vice infinitivi praes. activi, dativum velut *agī* ex *-ăi,* sscr. *áje* vice infinitivi praes. passivi.

4. Adverbia in e (ablativi secundae declinationis).

Formae *facilumed* [10]), *rected* [11]), Oscorum *amprufid* [12]) (improbe) satis ostendunt eius generis adverbia exiisse in litteram

---

1) Schneider, Exempla, 19. 2) Schneider, l. c. 292, 3.
3) L. c. 293, 43, 70, 73. 4) L. c. 293, 9, 69.
5) L. c. 293, 13. 6) L. c. 95, 9.
7) L. c. 97, 14. — De syllaba ultima infinitivi perfecti eadem ratione iudicandum est ac de ultima infinitivi praesentis activi.
8) S. c. 293, 71. 9) S. c. 293, 73.
10) S. c. de Bacch., Schneider, l. c. 97, 27.
11) In inscript. Falisc., Schneider, l. c. part. sec. 17.
12) Lex. Bant. 30, Zv pag. 78.

d et veteres esse ablativos. Cum autem post longam vocalem *d* littera finalis saeculo sexto a. u. c. tenuiter audiretur, adverbiorum quoque evanescere coepit. Neque enim exemplis probare possumus Plautum his formis in *-ēd* usum esse, frequenter autem eis in *-ē*:

Curc. 44: Nempe huíc lenóni qui híc habitát? || Rectē tenes.
Curc. 375: Verum hércle véro cúm bellē recógito,

permultis aliis locis.

Verum duo adverbia, *bene* et *male*, iam apud Plautum et Ennium cadunt in syllabam brevem, quamquam ex illo poeta certum exemplum afferri non potest, quia, ubicumque occurrunt, ictus est in paenultima horum adverbiorum vel sequitur ultimam (*béně, málě,* vel: *běně⊥, mălě⊥*); sed in Annalibus Ennii nonnulli exstant versus, ex quibus hanc *e* illis temporibus correptam fuisse satis apparet, velut:

105: Accipe daque fidem foedusque feri beně firmum.
107: Se fortunatim, feliciter ac beně vortat.

Tamen tres adhibentur versus Plautini, in quibus *e* littera, de qua dicimus, producta videtur esse:

Asin. 137: Quaé dedi et quód benē féci, at posthác tibi [1]).
Epid. 378: Nimis dóctus ílle ⟨est⟩ ád malē faciéndum. || Me équidem cérto.
Rud. 1316: Di | hómines réspiciúnt: benē ego hínc praedátus íbo,

Qui tres versus tamen nihil valent, quia littera *e* eum tenet locum, ubi admittitur syllaba anceps [2]).

Iam exsistit quaestio, qui factum sit, ut *e* finalis in *bene* et *male* corriperetur, cum in ceteris adverbiis, quorum paenultima et ultima efficiunt iambum, etsi eorum syllaba finalis identidem apud Plautum vi legis iamborum correptionis breviatur [3]),

1) Creticus tetrameter acat.

2) De versu Asin. 137 vide supra pag. 24.

3) Velut *maxumě* Mil. 1024:

Age age út tibi máxumě cóncinnúmst. || Nullúmst hoc stólidius sáxum.

prosperě Pseud. 574:

Pro Iúppiter, út mihi, quídquid agó, lepide ómnia prósperěque éveniunt.

probě:

Pers. 173: Ovis si ín ludum íret, pótuissét iam fíeri ut próbě litteras sciret.

Pers. 756: Eas vóbis hábeo grátes átque ago, quía probě sum últus meum ínimicum.

ultima servata sit producta. Atque nisi omnia me fallunt, correptio in *bene* et *male* duabus effecta est ex causis: primum quia plus sermone terebantur ceteris, deinde correptionem acceleraverunt formae instrumentalis, quae semper carebant littera finali *d: *benē* et **malē;* i. e. promiscue olim haec proferebantur formae: ablativi: **benēd, *malēd, *bénĕd, *málĕd,* postea: **benē, *malē, bénĕ, málĕ;* et instrumentales: **benē, *malē, bénĕ, málĕ,* quibus ex formis solae servatae sunt correptae: *benĕ* et *malĕ.*

5. *Cotīdiē, hodiē, meridiē, postridiē, pridiē.*

Haec adverbia, ubicumque occurrunt, in *e* litteram mittuntur productam. Originem unde ducant, sintne locativi an ablativi, dubium est, quamquam, cum frequenter coniungantur formae velut *die quarti, die septimi, die crastini* et composita *postrī-die, prī-die, merī-die* priore in parte locativum continere videantur, suadetur, ut *die* locativum esse credamus, qui *i* litteram abiecit finalem. Sed huic sententiae officit, quod Faliscorum *foied* [1]), etsi haec ipsa forma quomodo intellegenda sit non plane liquet [2]), ablativus singularis quintae declinationis in *-ēd* videtur esse, qui *d* litteram servavit pristinam.

Pauca verba mihi facienda sunt de adverbio *hodie* [3]). Quod omnes fere ortum esse interpretantur viri docti ex *hō-diē* [4]) quippe *o* littera correpta, quia duo coaluerint vocabula [5]). Profecto, negari nequit identidem in lingua Latina, duo ubi coaluerunt vocabula, primae vocis vocalem finalem breviatam

Pseud. 603: Iam pól ego hunc strátiotícum nuntíum advénientém probĕ pércutiam.

In adverbiis *maxume, prospere* lingua Latina correptionem non recepit, quia haec adverbia non iambum efficiunt (ut olim *bene, male, ego, quasi)* sed creticum.

1) Deecke, sprache der Falisker pag. 155: *foied · uino · pafo · kra · karefo·*

2) Deecke, l. c.: „*foied* scheint eine verunglückte Faliskisirung des lat. *hodie* zu sein, in gegensatz zu *kra* = *cras*, sei es verstellt aus **fodie* oder entstellt aus **fodied* mit ablativischem *d* . . . . verfehlt ist die form in jeder hinsicht, entscheidend falsch des *f*". — Sed cf. pag. 48,4).

3) De *perendie* vide Skutsch, jahrb., suppl. bd. 27. pag. 93 sqq.

4) Nonnulli ex *hoi-die*; cf. Vaniček, etym. wört. pag. 124, ex **hoi-die-i.*

5) Vide Buecheler, Wölfflins archiv III 145. Skutsch, forsch. I 8,

esse [1]). Sed haec correptio cum persaepe non reperiatur, mea quidem sententia necesse est ostendere, quae sint leges, ex quibus primae vocis syllaba finalis modo correpta sit modo servata producta [2]). Quibus ex legibus una, nisi fallor, manifesta est: hanc correptionem non effectam esse, ubi illam syllabam finalem olim sequebatur consonans, quae eam, ut ita dicam, tuebatur et defendebat, ut *quōcircā* ex *quō-d-circā* [3]) omnibus temporibus *o* litteram servavit productam. Formam **hōdie* autem qui acceperunt, non alia ex forma eam deducere possunt atque ex **hōdce-diē* vel **hōd-diē,* quibus in formis consonantes *d* et *c* impedivisse necesse est, quominus *hŏdie* evaderet forma. Praeterea nonne miraris, quod in adverbiis *cotīdie, merī-die, postrī-die, prī-die* primae partis syllaba finalis n o n correpta est, sed in *hŏdie?* Quaenam res in hoc adverbio correptionem effecit, prohibuit in illis? [4]).

Quae cum ita sint, mihi quidem non dubium videtur esse, quin forma *hŏdie* non ducenda sit ex **hō-die, *hōdce-die,* sed etymologiam non proponere malo quam incertam proferre vel pravam.

III. Formae in *i* exeuntes.

Quia *i* brevis finalis in lingua Latina non servatur, sed mutatur in *e* brevem [5]), illam omnibus in formis, in quibus deprehenditur, productam esse oportet. Quae *ī* finalis partim proles, ut ita dicam, est pristinae vocalis *ī*, partim orta ex diphthongis *-ăi, -ĕi, -ŏi.*

Atque *i* pura sine dubio reperitur in numerali *vigintī,* quae forma vetustus est nominativus-accusativus dualis neutrius generis nata ex idg. *viçemtī*. Nam idg. *çemt-,* lat. *-gint-* respondet stirps Sanscritica in consonantem desinens *-çat-* in *triṁ-çát-,*

1) Velut *sĭne* ex *sīne*; cf. *seine,* Schneider, Exempla 293, 54.

2) Non dubito, quin inprimis ictus respiciendus sit et enclisis.

3) Haec forma servata est Schneider, Exempla 293, 13.

4) Quod in inscriptionibus Faliscis *f* littera (*foied*) scripta est pro *h* (*hodie*), minimi est momenti. Cf. *Felena* pro *Helena* (Schneider, l. c. 42), *Fercles* (l. c. 46), *Foratia* (l. c. 200).

5) Cf. supra pag. 27, adnot. 1).

catvārim̐-çát, pañca-çát. Ut autem ad stirpes neutrius generis, quae exeunt in consonantem, velut *ahan* (tag), *jagat* (welt) efficitur nominativus-accusativus dualis: *ahan-ī, jagat-ī,* ita ad stirpem *-çat* effici potuit nominativus-accusativus dualis *-çat-ī* ex *-çemt-ī,* quam ad formam referenda est forma *vī-gint-ī.*

Deinde pristinam ī invenimus in genitivo singularis secundae, quae dicitur, declinationis. Quam rem maxime testantur stirpes in *-jo,* quas usque ad medium saeculum septimum a. u. c. *i* stirpis et eam *i*, quae genitivi est signum, contrahere non solum poetae illius aetatis ostendunt, sed etiam inscriptiones: *Saeturni* [1]), *aedifici* [2]), *benefici* [3]), *consili* [4]), *iudici* [5]), *municipi* [6]). Cum autem eaedem voces in *-jo* in locativo *i* stirpis et *i* locativi, quam ortam esse ex diphthongo *-ei* satis constat, nunquam contrahant, id quod apparet ex versibus Ennii, quos affert Apuleius Apol. 39 [7]):

Omnibus ut Clupeae praestat mustela marina,
Mures sunt Aeni †aspèra; ostrea plurima Abydi
. . . . Mytilenae
Est pecten charadusque apud Ambraciai finis;
Brundisii sargus bonus est: hunc magnus si escit,
Sume tibi, apriclum scito primum esse Tarenti [8]),

et ex Terentii v. Eun. 519:

Rus Súnii écquod hábeam et quám longe á mari,

vocalis *i* locativi ex diphthongo orta non eadem esse potest atque *i* genitivi, h. e. dubitari nequit, quin *i* genitivi pura sit et pristina (cf. Joh. Schmidt apud Mahlow, die langen vocale A E O 37 sq.).

---

1) Schneider, Exempla 28. 2) l. c. 295, 99. 3) l. c. 337, 3. 4) l. c. 293, 57. 5) l. c. 295, 35. 6) l. c. 312, 149, 152, 154.

7) Cf. Mueller, Ennii Sat. 51 sqq. — Baehrens, Frg. poet. Rom. pag. 130.

8) Sic fere verba corrupta restituenda esse censeo neque intellego, quam ob causam L. Mueller pro *Brundisii* scribat ablativum *Brundisio*, praesertim cum locativi *Clupeae, Aeni, Abydi, Mytilenae, Tarenti* hunc defendant locativum. — Ceterum cf. Athen. III, pag. 92 d: *Ἀρχέστρατος δ' ἐν Γαστρονομίαι φησί·*

τοὺς μῦς Αἶνος ἔχει μεγάλους, ὄστρεια δ' Ἄβυδος,
τὰς ἄρκτους Πάριον, τοὺς δὲ κτένας ἡ Μυτιλήνη·
πλείστους δ' Ἀμβρακία παρέχει, καὶ ἄπλατα μετ' αὐτῶν . . . .

Denique eadem *i* pura deprehenditur in secunda persona imperativi activi quartae, quae appellatur, coniugationis: *audī* : *audī-s* [1]).

Eas formas autem, quarum *ī* finalis in lingua Latina orta est ex diphthongis *-ăi*, *-ĕi*, *-ŏi*, satis erit breviter componere [2]):

a) ex ăi:

1) Infinitivus praesentis passivi; *agī*: Sscr. *áje*.
2) Secunda persona plur. passivi *-minī*; *legiminī*: inf. λεγέμεναι (?) [3]).
3) Prima persona sg. ind. perf. act.; Lat. *tutudī* : Sscr. *tutudé* (hoc primus intellexit Fick GGA. 1883. 588).

b) ex ĕi:

1) Locativus sg. secundae declinationis.
2) Dat.: *illī*, *istī* . . . [4]).
3) *mihī*, *tibī*, *sibī*, Osc. *tifei*, *sifei*.
4) *ubī*, *ibī*.

c) ex ŏi:

1) Nominativus plur. sec. decl.: *populī* : *fesceninoe* : οἶκοι.
2) Dativus sg. pron. determ.: *ĕī* ex **ejo-i* (cf. dat. *quo-i*).
3) Nominativus sg. *quī* ex **quo-i*, Osc. *poi*.

Unde *ī* ducat originem in genitivo sg. primae et quintae declinationis: *-ā-ī*, *-ē-ī*, et in dativo sg. tertiae declinationis (ex *ăi*?) et in *ut-ī* [5]) huc illuc interpretatione trahunt viri doctissimi.

Non necesse videtur esse de omnibus his formis ex diphthongo natis accurate disserere, sed de una itemque altera verba facere non erit alienum.

1. *Locativus tertiae declinationis.*

Quanto opere in tertia declinatione permixtae sint declinatio stirpium in *i* et in consonantem exeuntium, iam supra, cum de ablativo disputarem [6]), exposui. Atque ut in hoc casu ita in locativo quoque accidit, ut Plauti aetate locativus in *ī*

1) Vide supra pag. 27. 2) Cf. Solmsen, idg. forsch. IV 241.

3) Contra Bopp contendit *legiminī* eandem esse formam ac λεγόμενοι scil. *este*.

4) Hae formae etiam deduci possunt ex **illoi*, **istoi*.

5) Cf. Joh. Schmidt KZ. XXXII 407 sq.

6) Pag. 39 sqq.

plus stirpium in consonam exeuntium occupaverit quam aurea Latinitatis aetate, neque exstare videtur versus, in quo hic poeta usus sit locativo in *-ĕ* [1]); forma in *ī* autem in his deprehenditur versibus:

Cist. 156: Fuére Sícyonī iam díu Dionýsia.

Merc. 606: Sí neque híc neque Acheruntī sum, úbi sum? ‖ Núsquam géntium.

Cist. 226: Me hos díes sex rúrī cóntinuos [2]).

Aulul. 454: Témperī, postquam ímplevísti fústi físsorúm caput [3]).

Merc. 255: Ad pórtum hinc ábii máne cúm lucī simul [4]).

Mil. 995. Qui aúcupét me quíd agam, quí de vésperī vivát suo?

Capt. 111: Herī quos émi dé praeda á quaestóribus [5]).

Forma *rurī* est locativus stirpium in *i*, *rurĕ* ex **rurĭ* locativus stirpium in consonantem desinentium [6]). Rem ita se habere negavit vir doctissimus Johannes Schmidt [7]) locativum in *-ĕ* contendens ortum esse ex *-ē*, cui formae respondeat Sscr. *agnā́*, Gr. *πόλη-ι*. Sed haec comparatio quamquam scite facta tamen est reicienda, cum, quomodo et qua de causa in lingua Latina ex formis velut **rurē* evaserit forma *rurĕ*, hac ex sententia intellegi non possit.

2. *Mihi, tibi, sibi; ibi, ubi; quasi, nisi.*

Lex iamborum correptionis effecit, ut horum vocabulorum

1) Libris manuscriptis fides non habenda est.

2) *rurī*: Cas. 781. Most. 799. Ter. Phorm. 368.

3) *temperī*: Cas. 412. Capt. 191. Epid. 406. — *temperĭ* Rud. 921 vi legis iamborum correptionis.

4) *lucī*: Men. 1005. Stich. 364.

5) *herī* locativus est stirpis in *s* desinentis; cf. *hes-* in *hesternus*, Gr. *χθές*. — Praeter v. Capt. 111. *herī* apud Plautum: Amph. 799. Curc. 17. Most. 953; *herĭ* autem vi legis iamborum correptionis: Amph. 514. Curc. 18. Pseud. 148. Stich. 516.

6) Num iam Plautus significationes et formas: *rurī*, auf dem lande, et *rurĕ*, von dem lande, seiunxerit, dubium est, cum neque forma *rurĕ* usquam dimetiendi ratione postuletur et nonnullis locis, ubi optima Latinitatis aetas utitur forma *rurĕ*, in omnibus codicibus tradita sit forma *ruri*, velut

Most 1076: Eúge, Tránió, quid ágitur? ‖ Véniunt rúri rústici,

et Truc. 669: Mirúm vidétur, rúri erílem filium
Strabácem nón rediísse.

(codd.: *rurier item filium.*)

7) KZ. XXVII 290.

4*

iambicorum partim omnino fierent pyrrhichia, partim syllabam productam modo servarent modo corriperent.

Adverbium *quasi* quamquam in nonnullis inscriptionibus invenitur forma *quasei*[1]) poetae semper terminavisse videntur *i* brevi, cum ei pauci versus, in quibus efficit iambum, nihil valeant. Corruptus enim est v. Lucr. II 291:

Et devicta quasī[2]) cogatur ferre patique,

quem versum iam correxit Lachmann:

Et devicta quasi ⟨id⟩ cogatur ferre patique.

In v. Poen. 241 autem:

Quasī salsa múriatica ésse autumántur

codices non tradunt *quasi*, sed: *quam sī salsa* .... et Mil. 798:

Míliti út darém : quasīque egŏ reí sim intérpres. ‖ Aúdio,

eodem iure dimetiri licet: *quasĭque ĕgo*, etsi verisimile est inter *ego* et *rei* cum Ritschelio interponendum esse pronomen *ei* et legendum:

Míliti út darém, quasique égo ⟨ĕi⟩ reí sim intérpres. ‖ Aúdio.

Nisi[3]) creberrime apud Plautum desinit in syllabam brevem (*nísĭ, nĭsĭ⊥*), nonnullis locis autem in *i* productam:

Cas. 699: Nisī se sciát vilicó non datum íri[4]).

Cist. 61: Quíd dicám, nisī stultítia méa me in maérorém rapi[t]?[5])

Poen. 243: Nisī multa aqua úsque et diú macerántur[6]).

Poen. 325: Opsecro hércle, ut múlsa lóquitur. ‖ Níl nisī latérculos.

Rud. 1092: Híc nisī de opínióne cértum níl dicó tibi.

Quamquam fortasse versibus Cas. 699, Cist. 61, Poen. 243 derogabit quispiam auctoritatem (vide sis adnot. 4). 5). 6).), tamen eos defendunt versus Poen. 325. et Rud. 1092, in quibus quin *nisi* mittatur in *i* productam dubitari nequit.

Pronomina *mihi, tibi, sibi*[7]) nunquam apud Plautum efficiunt pyrrhichium nisi vi legis iamborum correptionis, neque usquam finis versus iambici senarii vel trochaici septenarii in-

---

1) Velut lex Bantina, Schneider, l. c. 292, 12; lex Acil. repet., l. c. 293, 41. 2) cod.: *quasi*.

3) In inscriptionibus identidem *nisei*, velut s. c. de Bacch., Schneider l. c. 97, 8, 16, 21. 4) A: *NISI*, P: *ni*. Ni sése (?).

5) Vel: Quíd dicám, nisī stúltitiá mea mé⟨d⟩ in maérorém rapi[t]?

6) Hermann: *nisi* ⟨*si*⟩. 7) Cf. pag. 50.

venitur velut: *dīcerĕ tĭbĭ vult*. Postea autem usque quaque hae formae promiscue in *i* longam terminantur et correptam.

C. F. W. Mueller [1]), quem sequitur Stadelmann [2]), in fabulis Plautinis nusquam inveniri exemplum contendit, quod *ibi* et *ubi* in longam cadere syllabam confirmet. Tamen nonnulli versus, in quibus nihil est offensionis, *i* litteram praebent productam:

Pseud. 425: Proficísci, ibī nunc óppido ópsaeptást via.
Aulul. 507: Sed hoc étiam púlcrumst praéquam ubī sumptús petunt.
Aulul. 700: Ibo íntro, ubī de cápite méo sunt cómitia.
Capt. 955: Quíd me opórtet fácere, ubí tu tális vír falsum aútumas?
Cas. 245: Vnde is, níli? Vbī fuísti? Vbī lustrátu's? Vbi bibísti?
Cas. 875: Neque quó fugiám neque ubī lateám neque hoc dédecus quómodo célem.
Cist. 735: Crepúndia úna. ‖ Est quídam homó, qui illam aít se scíre ubī sit.
Poen. 702: Quid múlta vérba? Fáciam, ubī tu láveris.
Rud. 1347: Tecum hóc habéto támen, ubī iuráveris [3]).

Sed mirum mihi videtur esse, quod ex his novem versibus in octo ante adverbia *ibi* et *ubi* deprehenditur vocalis [4]), atque iure quaerimus, num haec res forte facta sit, praesertim cum etiam in v. Rud. 1347 non difficile sit vocabula *tecum* et *tamen* transponere:

Tamen hóc habéto técum ubī iuráveris.

Suntne hi novem versus legendi cum hiatu? Haecine adverbia a Plauto usque quaque consilio sic posita, ut, quae vera

---

1) l. c. pag. 28. 2) l. c. pag. 69.

3) Dubito de versu Truc. 698:

Vbī male accípier méa mihí pecúnia,

qui, cum finis verbi interrumpat thesin alteram solutam, non recte traditus videtur esse, atque coniecerim:

Vbi mále ⟨ego⟩ accípiar méa mihí pecúnia.

4) Etiam in omnibus fere ceteris versibus, quorum aliis alia ex causa non vis inest et auctoritas, ante formas *ibī* et *ubī* est vocalis: Amph. 1094. Capt. 505. Cas. 73. Curc. 340. Aulul. 439. Bacch. 17. 431. 765. Cist. 717. Men. 280. Most. 315. 327. 380. Pers. 630. Poen. 853. 855. Pseud. 138. 490. 1259. Rud. 930. 1236. Truc. 360. 914. — Sed cf. Asin. 709 (*ut⟨i⟩*?). Poen. 718 (*ibi quaé relĭcŭī*) Cist. 717 (*tua úbi*). Pseud. 1278 (syllaba anceps). Truc. 506: *quín ubī natúst* : *quín ŭbĭ nátus ést*. —

ultimae sit natura, perspici non possit? Aegre hoc ut credam adducor; tamen hocine fieri non potuit?

Ut autem post Plautum sine dubio promiscue proferuntur formae: *mihī, mihĭ, tibī, tibĭ, sibī, sibĭ,* ita etiam formae *ubī* et *ubĭ, ibī* et *ibĭ*. Cf. Ter. Phorm. 827:

Hoiúsce habéndae. Séd ubĭ nám Getam ínveníre póssim,

quo in versu *i* litteram breviatam esse vi legis iamborum correptionis non crediderim [1]).

IV. Formae in ō exeuntes.

Operae pretium non videtur esse accurate de eis disserere formis, quae usque quaque in lingua Latina cadunt in *o* productam velut dativus sg. secundae declinationis: *-ō* ex *-ōi* [2]): Gr. *-ωι*, ablativus eiusdem declinationis : *ō* ex *ōd*, nominativus sg. in *ō* tertiae declinationis, (*homō*), prima persona sg. activi: *ferō* : *φέρω*, imperativus in *-to* ex *-tōd*, itemque omittere possum verba facere de formis dualis *ambō*, Gr. *ἄμφω*, *octō* : *ὀκτώ*, **duō*: *δύω*, ex quibus *duo*, ut apud Graecos quoque usitata est forma *δύο*, nusquam in lingua Latina *ō* pristinam servavit productam, cum unus, qui *o* longam comprobare videtur versus, nihil valeat: Mil. 1384: Duo dí quem cúrant. ‖ Quí duō? ‖ Mars ét Venus. Nam ante personam mutatam admitti syllabam ancipitem iam supra identidem intelleximus.

Quaerere autem necesse est tribus de formis : *egō, modō, citō,* utrum servatae sint in lingua Latina an in earum locum iam Plauti aetate successerint formae correptae *egŏ, modŏ, citŏ.*

1. *Ego.*

Permultis in versibus ictus est in paenultima pronominis *ego* aut in ea quae sequitur ultimam syllaba, ut, quae ultimae vera sit natura, propter legem iamborum correptionis perspici non possit. Nonnulli autem exstant versus, qui aetate Plauti docent *o* finalem in *ego* sine dubio fuisse correptam:

Men. 279: Quisquis . . . . ⟨quís⟩ egŏ sim [3])?

---

1) Cf. pg. 55. — *i* producta servatur in compositis : *alibī, ibīdem,* (*ibĭdém* Bacch. 313); *utrubīque.*

2) Vide sis inscriptionem illam: *Manios med fhefhaked Numasioi.*

3) Quin hic finis versus fuerit, non est dubium.

Mil. 1138: Néminém pol vídeo, nísi hunc quem vólumus cónventum. ‖ Et egŏ vos [1]), quibus in versibus, cum Plautus ultimam iambici senarii et trochaici septenarii thesin non ea efficiat ratione, ut illam expleat syllaba vi legis iamborum correptionis breviata, haec lex valuisse nequit.

Sed non mediocris versuum affertur numerus, in quibus pronomen *ego* in productam cadit syllabam, id quod alii viri docti contendunt [2]), negant alii [3]). Sunt autem qui adhibentur versus hi:

1) Ex diverbiis:

a) ex iambicis senariis:

Asin. 810: Sequere hác. Egōne haec pátiar aút taceam? Emori.
Aulul. 570: Non pótem egō quidem hércle. ‖ At ego iússero.
Bacch. 196: Egōn ut, quód ab illo áttigísset núntius.
Cas. 781: Cena úbi erit cócta; egō rurí cenávero.
Cas. 786: Tandem út †veniamus lúci; egō cras híc ero.
Epid. 389: Egō me excrúciare ánimi, quási quid fílius.
Men. 544: Fiát. Cedo aúrum, egō manúpretiúm dabo.
Merc. 544: Tandem ímpetrávi egōmet me út corrúmperem.
Mil. 142: In eó conclávi egō perfódi párietem.
Mil. 554: Fateór. ‖ Quid ní fateáre, egō quod víderim?
Mil. 1379: Egō † nam conveniam illum, úbi ubi est géntium.
Trin. 173: Sed núnc rogáre egō vicíssim té volo.
Truc. 357: Vah, vápulo hércle egō nunc, átque adeó male.

b) ex iambicis septenariis:

Cist. 745: Quid istúc negóti est? Aút quis és? ‖ Egō sum illíus máter.

c) ex trochaicis septenariis:

Aulul. 457: Cóctum egō, non vápulátum, dúdum cónductús fui.
Bacch. 571: Tóllam egō te in cóllum atque íntro hinc aúferam. ‖ Immo ibó, mane.
Capt. 1021: Séd dic óro : páter meús tune és? ‖ Egō sum, gnáte mi.
Curc. 294: Trístes átque ebríoli incédunt : éos egō si offéndero.
Curc. 305: Haúd magís cupís quam egō te cúpio. ‖ O méa opportúnitas.
Men. 651: Quís is Menaéchmust? ‖ Tú istic, ínquam. ‖ Egōne? ‖ Tú. ‖ Quis árguit?

1) Cf. Curc. 104.
2) Buecheler-Windekilde, l. c. pag. 27; Neue-Wagner, l. c. II 346.
3) C. F. W. Mueller l. c. pag. 30 sqq.

Men. 934: Quíd, ego? | Díxti insánus, ínquam. || Egōne? || Tú istic, quí mihi.
Men. 1125: Mí germáne gémine fráter, sálve. Egō sum Sósicles.
Merc. 470: Fúisse crédo, praéut quo pácto egō divórsus dístrahor.
Pers. 198: Eo ego. | I sáne. Egō domum íbo. Fáce rem hanc cúm curá geras.
Pseud. 624. 625: Immo adést. || Tun áttulísti? | Egōmet. || Quíd dubitás dare?
Rud. 730: Ita hinc egō te ornátum [te] amíttam, tú ipsus té ut non nóveris.
Rud. 779: Abi modo, égo dum hoc cúrabó recté. || Iam egō revénero.
Rud. 1184: Súmne egō sceléstus, quí illunc hódie excépi vídulum?
Rud. 1410: Máximé. || Pro illó dimídio egō Gripum émittám manu.
Stich. 293: Ad me adíri et súpplicári egōmet mi aéquom cénseo.
Stich. 720: Nólo egō nos † prosumo bibere. Núlli rei érimus póstea.
Truc. 526: Tóllere, itá dolet ítaque egō † medulo, néque etiám queo.

2) Ex canticis:

a) ex anapaestis:

Poen. 1185: Spero équidem. || Et pól egō, quom, íngeniís quibus súmus atque áliae, gnósco[1]).
Pseud. 939: Sed egō quae tíbi bona dábo et faciám, si hanc sóbrie rem áccurássis.
Rud. 190: Hancíne egō pártem cápio ob píetatém praecípuam?

b) ex bacchiacis tetrametris acat.

Truc. 453: Egō prima dé me, domó docta, díco.
Truc. 464: Puérperio egō nunc me⟨d⟩ ésse aegram adsímulo.

c) ex creticis tetr. acat.

Trin. 282: Nólo egō cum ímprobis té viris, gnáte mi.

Sed ex his duodequadraginta versibus, in quibus *o* finalis pronominis *ego* producta videtur esse, detrahendi sunt undeviginti, quos cum hiatu legere licitum est:

1) cum hiatu legitimo in diaeresi:

Merc. 470: Fúisse crédo, praéut quo pácto égŏ divórsus dístrahor.
Rud. 1410: Máximé. || Pro illó dimídio égŏ Gripum émittám manu.
Stich. 293: Ad me adíri et súpplicári égŏmet mi aéquom cénseo.

1) In hoc versu et Rud. 190 *egō* legendum esse in thesi versus anapaestici contendit Seyffert, Burs. annal., 1895, pag. 260, 261.

2) cum hiatu legitimo ante personam mutatam:

Men. 651: Quís is Menaéchmust? || Tú istic, ínquam. || Egŏne? || Tú. || Quis árguit?

Men. 934: Quíd, egŏ? || Díxti insánus, ínquam. || Egŏne? || Tú istic, quí mihi.

Pers. 198: Eo ĕgo. || I sane. égŏ domum íbo. Fáce rem hanc cúm curá geras.

Pseud. 624: Immo adést. || Tun áttulísti? || Egŏmet. || Quíd dubitás dare?

3) cum hiatu in caesura iambici senarii[1]):

Aulul. 570: Non pótem egŏ quidem | hércle. || At ego iússero.
Bacch. 196: Egŏn út, quod áb illo | áttigísset núntius[2]).
Cas. 781: Cena úbi erit cócta; | égŏ rurí cenávero[3]).
Men. 544: Fiát. Cedo aúrum, | égŏ manúpretiúm dabo.
Mil. 142: In eó conclávi | égŏ perfódi párietem.
Mil. 554: Fateór. || Quid ní fateáre, | égŏ quod víderim?[4])
Trin. 173: Sed núnc rogáre | égŏ vicíssim té volo.
Truc. 357: Vah, vápulo hércle | égŏ nunc, átque adeó male.

4) cum hiatu quamquam non legitimo[5]):

Aulul. 457; Cóctum | égŏ, non vápulátum, dúdum cónductús fui.
Men. 1125: Mí germáne gémine fráter, sálve. | égŏ sum Sósicles.
Rud. 779: Abi modo, égo dum | hóc curábo récte. || Iam égŏ revénero[6]).
Rud. 1184: Súmne | égŏ sceléstus, quí illunc hódie excépi vídulum.

Deinde sine ulla dubitatione corrupti sunt versus quattuor: Cas. 786. Mil. 1379. Stich. 720. Truc 526, in quibus iam supra corruptelae sedem cruce illa significavi usitata[7]). Tum in septem versibus tam facile est emendare, ut rationi dimetiendi *egō* iure anteponamus emendationes:

---

1) Cf. supra pag. 5.

2) Leo: *illoc*, quod verisimile est.

3) Hoc in versu alterum est mendum metricum, cum paenultima producta locativi *rūrī* quartam iambici senarii efficiat thesin; cf. pag. 2.

4) Hiatus in semiseptenaria.

5) Vide sis pag. 4.

6) Sic hunc versum ut legamus, praecipitur, ne paenultima in *curābo* tertiam trochaici septenarii efficiens thesin cum dipodiarum pugnet lege.

7) Ceterum Truc. 526. meliore ratione quam supra legitur:
Tóllere, íta dolét itaque égŏ † medulo, néque etiám queo.

Asin. 810: Sequere hác ⟨med⟩. Egŏne haec pátiar aút taceam? Emori [1]).

Bacch. 571: Tóllam ĕgŏ téd in cóllum atque íntro hinc aúferam. || Immo ibó, mane [2]).

Capt. 1021: Séd ⟨tu⟩ díc oró: patér meus túne es? || Egŏ sum, gnáte mi [3]).

Cist. 745: Quid istúc negóti est? Aút quis és t⟨u⟩? || Egŏ sum illíus máter [4]).

Curc. 305: Haúd magis ⟨mé⟩ cupís quam ĕgŏ té cupio. || O mea ópportúnitas [5]).

Epid. 389: Egŏ mé⟨d⟩ excrúciare ánimi, quási quid filius [6]).

Truc. 453: Egŏ príma de mé⟨met⟩, domó docta, díco [7]).

Deinde duobus versibus non inest auctoritas, quia inter se discrepant libri manuscripti: versum Merc. 544 praebet Ambrosianus, ut supra eum attuli:

Tandem ímpetrávi egōmet me út corrúmperem,

Palatini autem hoc in versu veram servaverunt lectionem:

Tandem ímpetrávi ut égŏmet mé corrúmperem.

Contra Rud. 730 ordo verborum praeponendus est Ambrosiani:

Ita egŏ te hínc ornátum amíttam, tú ipsus té ut non nóveris,

quem versum non recte exhibent Palatini:

Ita hínc egō te ornátum te amíttam, tú ipsus té ut non nóveris.

Postremo tres versus aliam admittunt dimetiendi rationem:

Poen. 1185: Spero équidem. || Et pól ĕgŏ quŏm, íngeniís quibus súmus atque áliae, gnósco [8]).

Versum Rud. 190 constare existimaverim ex duobus iambicis dimetris catal:

---

1) ⟨*med*⟩ adieci. cf. Asin. 941:

Immo intró potiús. Sequere hác me, mí anime. || Ego veró sequor.

2) D habet: *tet.*

3) ⟨*tu*⟩ supplevit Havet, recepit Leo.

4) *es t⟨u⟩* scripsi pro codicum lectione: *est*, in qua *es tu* vestigium sui reliquisse videtur.

5) ⟨*me*⟩ Fleckeisen, Goetz, Leo. — Goetz-Schoell in editione:

Haúd magís cupis quam ĕgŏ te cúpio. || O mea ópportúnitas.

6) *me⟨d⟩* recepit Leo. 7) *me⟨met⟩*, supplevi.

8) Cf. Klotz, l. c. pag. 119. 123 sqq. — De dactylo + anapaesto (—⏑⏑⏑⏑⏑—́) cf. supra pag. 30.

Hancíne egŏ pártem cápio ob píetatém praecípuam,

h. e. –⏑́⏑⏑⏑–́, –⏑́⏑⏑– –⏑́⏑⏑––́, –⏑́⏑⏑–,

praesertim cum in hoc ipso cantico reperiantur versus iambici, in quibus omnes fere theseis syllaba longa efficiuntur vel duabus correptis, ut illi versus, quamquam iambici, anapaesticis similes videantur esse et ex uno loco, in quo una syllaba brevis explet thesin, versum iambicum esse appareat. Vide sis versum 185:

Nimio hóminum fórtunaé minús miseraé memorántur,

h. e. ⏑⏑⏑́⏑⏑––́, ––́⏑–́ ⏑⏑–́⏑⏑–́–,

iambicus dimeter acat. cum clausula Reiziana (vel anapaestica?). Similiter res se habet in versibus huius cantici 218 et 219:

Nunc quí minus sérvió, quam sí servá forem náta?

Neque quícquam umquam íllis prófuít, qui mé sibi éduxérunt,

i. e. ––́⏑⏑–́, ⏑–́––́ ––́⏑⏑–́–

⏑⏑–́––́, ––́⏑–́, ––́⏑–́, ––́–,

quorum versuum alter est iambicus dimeter catal. cum clausula Reiziana [1]), alter iambicus septenarius.

Versus Truc. 464 autem esse potest bacchiacus dimeter catal. cum clausula iambica (iamb. dim. catal.), quos versus iam supra [2]) demonstravi identidem apud Plautum esse coniunctos:

Puérperio egó nunc mé⟨d⟩ esse aégram adsímulo;

inter utrumque colon admittitur syllaba anceps.

Iam tres supersunt versus Curc. 294. Pseud. 939. Trin. 282:

Trístes átque ebríoli incédunt: éos egō si offéndero.

Sed egō quae tíbi bona dábo et faciám, si hanc sóbrie rem áccurássis.

Nólo egō cum ímprobis té viris, gnáte mi.

Atque ego quidem, cum ceteri quinque et triginta versus, in quibus *ego* in syllabam productam cadere videtur, nos deceperint, his tribus quoque fidem esse derogandam censeo, praesertim cum, ut iam supra exposui, Plautus nunquam eandem vocem vel formam hic terminaverit in vocalem productam illic in brevem. Quod cum ita sit, mihi quidem non est dubium,

1) cuius numeri anapaestis sunt simillimi.

2) Cf. pag. 12.

quin iam Plauti aetate pronomen *ego* nusquam effecerit iambum, sed potius usque quaque pyrrhichium, etsi confiteri debeo, quomodo illi tres versus Curc. 294. Pseud. 939. Trin. 282 probabiliter emendandi sint, me nescire [1]).

2. *Cito, modo.*

Adverbia *cito* et *modo* optima Latinitatis aetate cadunt in syllabam brevem. Atque est controversia, utrum aetate Plauti horum adverbiorum ultima iam fuerit correpta an post hunc poetam facta sit correptio. Sed non desunt versus, in quibus littera *o* finalis, de qua dicimus, est producta, qui versus omissis incertis [2]) sunt hi:

a) *citō*:

Cist 748: Elóquere, unde haéc sunt tíbi, citō, crepúndia.
Ter. Andr. 474: Hui, tám citō? ridículum: póstquam ante óstium.
Heaut. 375: Sed quám citō sunt cónsecútae múlieres!

b) *modō*:

Asin. prol. 5: Age núnc resíde, cáve modō ne grátiis.
Asin. 869: Táce modō. Ne illúm ⟨m⟩ecástor míserum habébo. ‖ Ego istúc scio [3]).
Aulul. 239: Dúm modō moráta récte véniat, dótatást satis.
Capt. 458: Ad fratrém modō captívos álios ínvisó meos.
Merc. 426: Táce modō: senéx est quídam, quí illam mándavít mihi.
Merc. 875: Húc secúndus véntus núnc est; cápe modō vorsóriam.

---

1) Vix credibile est v. Pseud. 939 dimetiendum esse:

Sed egŏ quăe tibi bónă dabo et fácĭam sí | hanc sóbrie rem áccurássis,

ne initio versus tres se excipiant proceleusmatici. Sed versus Trin. 282 fortasse legendus est cum hiatu non legitimo:

Nólo egŏ cum | ímprobis té viris, gnáte mi.

2) Velut: *cito*: Asin. 745. Bacch. 202. 541. Cas. 635. Cist. 748 (ante personam mutatam) Men. 225. Mil. 1353 (*ite citō* vel *ite citŏ*). *modo*: Amph. 644 (Goetz-Schoell omittunt ictus, Leo bacchios esse censet) Asin. 876 (cum hiatu in diaeresi legi potest). Cas. 758 (a. pers. mut.) Curc. 655 (a. pers. mut.) Merc. 607. Mil. 984 (a. pers. mut.). Rud. 951.

3) ⟨*m*⟩*ecastor*, correxi. Vulgo: *ne* ⟨*ego*⟩ *illum ecastor*.

Most. 326: Cáve modō, né prius ín via accúmbas.
Most. 994: Non équidem in Aégyptum hínc modō vectús fui.
Poen. 926: Nám et hoc dócte cónsuléndum, quód modō concréditumst.
Pseud. 689: Méum mendácium, híc modō quod súbito cómmentús fui.

Mea quidem sententia dubium esse nequit, quin in his versibus et *cito* et *modo* efficiant iambum, h. e. quin Plauti aetate hae syllabae nondum fuerint breviatae. Quae res confirmatur, quod, ubi utrumque adverbium apud Plautum efficit pyrrhichium, ultima corripitur vi legis iamborum correptionis [1]) neque unquam eam occupat sedem, in qua syllaba natura brevis postulatur [2]). Vi eiusdem legis autem postea accidit, ut omnino his in adverbiis *o* finalis corriperetur. Quod in *cito* paulo post Terentium factum videtur esse, cum post hunc poetam forma *citō* nusquam reperiatur; diutius autem servata est forma *modō* [3]), qua etiam Lucretius nonnullis usus est locis velut.:

II, 1135: Plura modō dispargit et ab se corpora mittit.
II, 941: Ne congressa modō vitalis convenientes.
IV, 1181: Vna modō, causas abeundi quaerat honestas [4]).

Atque mihi quidem verisimile est ob eam causam *modō* diutius fuisse in usu quam *citō*, quia verborum conformationes ut *omni modō, unō modō, nullō modō*, quarum adverbialis fere est significatio, semper in *modō* *o* finalem servaverunt productam.

Restat, ut verba faciam, unde adverbia *modō, modŏ, citō, citŏ* ducant originem. Atque nisi omnia me fallunt, ut in adverbiis *bene* et *male* [5]), in his quoque fieri potuit, ut ex duplici orerentur forma. Neque enim negari potest olim fuisse ablativos **citōd*, **modōd* et instrumentales **citō*, **modō*, quae formae, cum *d* littera ablativi deiecta confluxissent, non aliam formam parere possent ac *citō, modō*, ex quibus vi legis iambo-

---

1) Velut: *citŏ*: Cas. 744. Mil. 256. Most. 347. Pseud. 168. Ter. Adelph. 443. *módŏ*: Amph. 286. 695. Asin. 35. 168. 170. 240. 337. 457. 902. 927 etc. etc.

2) Velut in ultima thesi iambici senarii et trochaici septenarii.

3) Sine dubio Romani quodam tempore usi sunt et forma *modō* et *modŏ*, ut et *tibī* et *tibĭ*.

4) Cf. Lachmann ad Lucr. II 1135.

5) Vide supra pag. 46.

rum correptionis et quod sermone terebantur adverbia, nasci oportebat formas *citŏ* et *modŏ*.

V. Formae in *ū* exeuntes.

De formis in *u* productam desinentibus brevi praecidam, quippe quae formae nec numerosae sint nec praebeant difficultates, quas denuo necesse est vocare in quaestionem.

Nam formas in *ū* nominativi-accusativi sg. neutrius generis quartae, quae dicitur, declinationis velut *cornū* re vera vetustos esse nominativos-acc. pl. neutr. gen. docuit vir doctissimus Johannes Schmidt, die pluralbildungen der idg. neutra, pag. 49.

Deinde praeter eiusdem declinationis dativum in *-uei*[1], *-uī*, cuius interpretatio dubia est, omnibus temporibus in usu fuit dativus in *-ū*[2]), quem non modo Latinum esse, sed Italicum maxime Vmbrorum confirmat dativus: *trifo*[3]).

Ablativus sg. autem olim desiit in *-ūd*, cuius formae exemplum servatum est in s. c. de Bacch. 13: *promagistratud*[4]), postea — nec mirum — usque quaque in *u* mittitur productam.

Quem ad modum interpretandae sint formae *diū* et *noctū*, utrum locativi sint necne, dubium est. Nam in *noctū* ex *-ōu* : Sscr. *aktaú* amplissima reperiretur stirps *-ōu*, quam in lingua Latina servatam esse aegre crediderim.

Restat, ut verba faciam de pronomine *tu*. Quae forma cum omnibus temporibus cadat in *u* productam, ducenda est ex Idg. **tū*, cf. ags. *þú* = angl. *thou*, ahd. *dū*, altpr. *tou*, altslov. *ty*; sed dubium esse nequit, quin praeter Idg. *tū* iam fuerit forma *tŭ*, quam maxime testantur gr. *τύ*, lit. *tù*, ahd. *du*, *do*: cf. Joh. Schmidt, pluralbildungen der idg. neutra 219.

---

1) Cf. Schneider, l. c. 305, 12: *senatuei*.

2) Velut Mil. 1073:

Quid est? Vt ludo? ‖ Nequeo hércle equidém risū meo móderarí. ‖ . . . . .

Cf. Pseud. 306. Rud. 294. — Supinum in *-ū* : *dictū*, *audītū* etc. eandem esse formam satis constat.

3) Buecheler, Vmbrica, pag. 109.

4) Forma incisa *magistratuo* sine ulla dubitatione error est fabrilis.

Vita.

Natus sum Georgius Wedding a. d. XII. Kal. Iun. anni 1877 in oppido, cui nomen est Burg, patre Friderico, matre Elisabeth e gente Künzler. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum rudimentis in schola civili imbutus inde ab anno 1887 gymnasium frequentavi Burgense, quo in gymnasio novem annis post (tempore Paschali a. 1896) maturitatis instructus sum testimonio.

Tum ter sex menses Halis Saxonum, bis Berolini, denuo bis Halis philologicis operam dedi studiis, praecipue linguae Germanicae, Graecae, Latinae, Sanscriticae hos audiens magistros Halenses: Bechtel, Blass, Bremer, Burdach, Dittenberger, Haym, Ihm, Ed. Meyer, Pischel, Riehl, Robert, Strauch, Vaihinger, Wissowa; Berolinenses: Diels, Geldner, Kirchhoff, Roediger, Vahlen, de Wilamowitz-Moellendorff.

His omnibus viris illustrissimis gratias ago semperque habebo quam maximas, inprimis magistris veneratissimis Pischel, Wissowa, Bechtel, quo suasore et duce hanc composui commentationem.